



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Januarium, Februarium, Martium

Nepveu, François

Monachii, 1709

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60495)





α. III


5

Th. 4505,













In Matutinis meditabor in Te. Psalm. 63. ver. 7.

F. Magn. Remij. Prof. Vrsinensis delin.

Joan. Bale. Wenig sculpsit.

COGITATIONES,

Sive

CONSIDERATIONES
CHRISTIANÆ

Pro singulis Anni diebus,

AUTHORE

R. P. FRANCISCO NEPVEU
SOCIETATIS JESU.

*Post aliquot Editiones Gallicas La-
tine reddite*

A

P. ANDREA LEUCKART

Ejusdem Societatis Sacerdote.

TRIMESTRE PRIMUM.

Complectens

Januarium. Februarium. Martium.

Cum Gratia, & Privil. Sac. Cesar. Majest.

Permissuque Superiorum.

Collegii S. Martini Paderbornensis ad usum.

MONACHII,

Sumptibus JOANNIS JACOBI REMY
Bibliopolæ.

Typis Mathiæ Riedl, Anno M. DCC. IX.

REVERENDISSIMO, AM-
PLISSIMO, ac GRATIOSO
DOMINO, DOMINO
WILIBALDO,
Imperialis Monasterij
Ursinensis Ordinis S. P.
Benedicti PRÆSULI
Vigilantissimo, &c.

*Domino, Domino Patrono suo
Gratioso, &c.*

REVERENDISSIME, ac GRA-
TIOSE DOMINE PRÆSUL, &c.

Memorant Fasti, Al-
phonsum X. Legionis
Regem erudito penicil-
lo adumbrare jussisse
Pelicanum pullos sanguine suo la-
a 2 ctan-

IN DEDICATORIA.

Etantem, cui hanc sociavit Epigraphen: *pro lege & grege*. Certè subditi tui meliori jure in grati animi testimonium omnibus celeberrimi Monasterij tui portis hoc lemma affigunt: *pro lege & grege*. Dum vigilantioribus oculis, eorundem bono invigilâsti, quàm tuo. Id quidem apprimè ostendisti REVERENDISSIME, ac GRATIOSE DOMINE ferreis hisce temporibus, quibus universa propemodum Europa, armorum undique quassata motibus, furentium militum dilacerata cladibus, effusóque madida sanguine, fractis oculis, fracta Principum foedera ingemiscebat: ubique clades, ubique cædes: & quæ cœlo asurgebant ope-

DEDICATORIA.

operosissimæ ædificiorum moles ,
inter minuti pulveris quisquiliæ di-
flagrârunt. Stetit tamen incon-
cussa Monasterij felicitas , quia , ne
illi suus deesset Atlas , tuos subje-
cisti humeros. Deseruere alij in-
ter communes calamitates sua sa-
cra Domicilia , veluti Filias Paren-
tibus suis viduatas : Tu , unicus
persistebas immotus , excelsæ illi
Turri haud absimilis , è qua mille
clypei pendent , quibus hostium
potentia aut frangatur , aut emol-
liatur. Mitigabas eâ eloquentiæ
suadâ , ea animi lenitudine , eo sa-
cratoris prudentiæ , ac virtutis splen-
dore , ferocientem bacchantium
militum furorem , ut veluti de-
cumani fluctus in mitem & humi-

DEDICATORIA.

lem arenam effusi detumuerint, & quam subvertere cogitarent, pacis osculo salutarent. Sed & hanc animi tui magnitudinem ac invictam constantiam humanis hostibus superiorem Deus optimus Maximus tanquam se dignam tentare statuit; cum sacram omnem suppellectilem, quam in tuto collocatam gestiebas, fatali absumpsit incendio, ut virtutis tuæ lucem orbi redderet illustriorem. Nam certe excepta est sæpius plaudente cælo, mirante terra tua illa vox, qua promptissimam in calamitates voluntatem penitissimè Deo devovebas: *Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat. 1. Reg. 3.* Non dubius hæreo, utrum majores

res

DEDICATORIA.

res Tu aduersitates , an te illæ
majorem fuerint expertæ ? Etenim
licet extiterint maximæ , tu ma-
ximis tamen major extitisti. Ter-
ruisset alios jactura ista , qui minu-
tum animum suo circumferunt cor-
pore, te in spem erexit ampliorem:
loquitur hoc per amplum è suis ru-
deribus surgens Celeberrimi Mo-
nasterij tui ædificium , quod à pri-
mo lapide eâ diffundi amplitudine,
eâ construi elegantia , eo absol-
vi ornatu desideras , ut aternam
referat pientissimi Præsulis & cu-
ram , & pietatem , & sapien-
tiam. Non igitur timendum e-
xistimo , ne quondam temporum
injuriam hanc magnificam ædificij
molem subruant , innititur enim

a 4 tua

DEDICATORIA.

tua virtuti, & tua virtus Deo. Sed
en ! dum bipatentes mihi Mona-
sterij Tui panduntur portæ, Urna
oculis offertur, quæ sapienriæ te-
git, & Candidatos, & Patres,
vivenes inter mortuos, nempe
Bibliotheca, sine auri parsimonia
â te REVERENDISSIME, ac
GRATIOSE DOMINE ABBAS
munificentissimè cœpra. Quid
mirum itaque, si hac in urna sepe-
liri gloriosè desiderem opusculum
isthoc, mole exiguum, at divinæ
sapienriæ, ac solidæ pietatis succo
pretiosum. Patere igitur REVE-
RENDISSIME ac AMPLISSIME
DOMINE, ut hoc quaecunque
munus tuo sacrationis Palladis
Musæo â me tanquam gratitudinis
ater-

DEDICATORIA.

æternum memnosynon inferatur,
 tot titulis debitum, quot & ego,
 & duo Fratres mei vivimus obstri-
 cti: Duo, inquam, Fratres mei,
 Filij tui, dum ad rectam sanctio-
 ris vitæ normam, & beatitatem
 sub tua amabili disciplina dirigun-
 tur, & sub te in terris coelo fruun-
 tur. Accipe hunc obsequij nostri
 censum oculis tuæ benignitatis,
 qua soles vilia pretiosa facere, nos
 verò uti pro incolumitate tua, &
 in Te nostrâ Deum optimum Ma-
 ximum continuatis votis exora-
 rare nunquam desistemus, sic de
 ejusdem in Te pientissimi Numi-
 nis munificentia confidimus, Te ad
 Divini Honoris, ac Celeberrimi
 Monasterij augmentum ad Tui
 a 5 Nomi-

DEDICATORIA.

Nominis immortalem famam, ad
subditorum, ac nostrum solatium
quàm diutissimè superstitem, &
incolumem perennaturum.

Reverendissimæ,
Amplissimæ, & Gra-
tiosæ Dominationis
Tuæ.

*Servus humillimus,
obstrictissimus.*

Joannes Jacobus Remy.

Summa Privilegij Cæsaris.

Josephus divinâ favente Clementiâ Romano-
rum Imperator semper Augustus, ac Ger-
maniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex,
Archidux Aultriæ, Dux Burgundiæ, &c.
Diplomate suo sanxit; ne quis librum, cui Ti-
tulus est, *Christiane Cogitationes, seu Medita-
tiones P. Francisci Nepveu Societatis JESU, in qua-
tuor distinctæ partes citra Joannis Jacobi Remy
Bibliopolæ Monacensis, proximis decem an-
nis imprimat, aut alibi terrarum impressum in
Sacri Romani Imperij, Regnorûmque, ac Do-
miniorum hæreditariorum fines importet, aut di-
vendat: sub pœna decem Marcarum auri puri, &c.*
uti latius patet in litteris datis Vienni 14. Novem-
bris anni 1707.

JOSEPHUS.

(L. S.)

Ut Frid. Carl Graf
von Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæsareæ
Majestatis proprium.


Frank Wilberich von
Menschen gen.

APPROBATIO.

Ego Josephus Preis Societatis Jesu per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi potestate ab A. R. Patre Nostro Michaële Angelo Tamburino Societatis Vniuersæ Præposito Generali, facultatē indulgeo Domino Joanni Jacobo Remy Bibliopolæ Monacensi, typis in lucem edendi quatuor partes Christianarum cogitationum, seu Meditationum patris Francisci Ne-pueu e Societate Jesu ab alijs ejusdem Societatis Sacerdotibus in idioma latinum & germanicum versas, Potestatem insuper eidem facio, usurpandi jus Cæsarei Privilegij, quo Typographis & Bibliopolis omnibus prohibetur, ne vulgatos, aut in aliam linguam translatos à Societatis Jesu Patribus libros, citra Superiorum Auctorumque consensum recudant, vel intra Sacri Romani Imperij & Provinciarum Sacræ Cæsareæ Majestati hæreditario jure subjectarum fines importent. Facultatem hanc, de una tantum impressione intellectam, manu mea & solito officij Sigillo firmavi Monachij 26. Augusti anno 1707.

L. S.

Josephus Preis,



P R Æ F A T I O.

Cum lectoribus suis perquam acceptæ fuerint Christianæ pro singulis diebus mensis Cogitationes, multumque iis attulerint emolumentum, non paucos desiderarunt, ut earum similes in lucem ederentur pro singulis anni diebus. Ciborum optimorum satietate afficimur, si quotidie iis vescamur, & aliquoties optimis fatigamur libris, si nimis frequenter eosdem legimus. Calidum obducimus ad illas etiam veritates, quæ prius efficaciter nos moverant, si nimium iterentur, & idcirco minorem quoque vim habent in plerosque animos; qui nonnullam diversitatem amant earum rerum, quæ novam semper delectationem excitaturæ videntur. Optandum fuisset, ut P. Bohours è Societate nostra, qui in lucem dedit Cogitationes Christianas in singulos dies mensis, ut eas nunc habemus, exequi potuisset consilium, quod animo conceperat, scribendi ejusmodi pro toto anno. Et profecto nemo id felicius, quam ipse, præstitisset: verum cum alia opera, quæ ipsum occuparunt, tantum operis ei non concesserint, bonum fuisset, si quispiam hoc consilium eadem Ingenij felicitate, qua ille, in se suscepisset. Verum, quam difficile est assequi, non dicam elegantiam, æquæ exactam quidem, ac nativam, quæ ipsi adeo congenita est; at operi, quale istud est, minus necessariam; sed modum scribendi vivum, brevem, & nervosum, simulque
sen

PRÆFATIO.

sensus & efficacitatis, ac præcipuè suavitatis internæ plenum, qua mentem perfundi sentimus, ut primum Cogitationes Christianas legimus, quæ simul intellectum recreant, & mentem certissimè penetrant. Fateor, omnibus me viribus contendisse, ut hæc exprimerem; at tantum mihi non tribuo, ut ea me affecutum putem: spero tamen, te, mi lector, cum multis aliis grates habiturum mihi, quòd rem adeò difficilem, quia perquam utilis esse possit, aggressus sim; & gavisurum, quòd in lucem prodeant meditationes pro toto anni tempore de vniuersis magni momenti veritatibus moralibus & Christianis, breviores, & meliùs concinnatæ, quàm pleræque illarum, quas præ manibus habemus: quæ, cum & nimium ample, prolixisque textibus, aut discursibus refertæ sint, lectioni, quàm meditationi aptius præbent argumentum; neque leguntur, nisi à modico hominum numero, quæ multum est otii, aut fervoris ad hunc laborem in se suscipiendum. Animadvertes insuper, methodum meam, hæc materia tractandi, exactiùs observare ordinem, quàm seruent Cogitationes Christianæ pro singulis diebus mensis, quæ non satis inter se coherent. Scio, gustus hac super re diversos esse; sed, quis vniuersalior sit, ignoro. Cæterum polliceri mihi non auderem, modum, quem hic secutus sum, rationi magis consonum esse, licet id prima specie videatur: experientia, & sensus uniuscujusque hac in re iudex esto: spero tamen, id me commodi inde habiturum, quòd majorem in ordinem reduxerim cogitationes, quæ servire possunt singulis cujusque mensis diebus. Neque tamen semper eundem observavi

er-

PRÆFATIO.

ordinem, quia fortassis aliqui inde concepissent fastidium, quod, ut præverterem, censui varietatem aliquam eisdem inserendam. Interea hinc ordinariè præmissi Veritates aliquas, quæ conducunt ad viam, ut vocant, Purgativam, veritatibus viæ alterius, quæ Illuminativa dicitur, atque hæc veritates illuminativas alijs, quæ viæ Unitivæ sunt propriæ; cum perquam commodum sit, ab inferioribus ad sublimiores veritates progredi. Cæterum opportunum esse non judicavi, me nimis anxie huic ordini alligare, ne in illud inciderem incommodi, quod evitare statueram.

Constitutum fuit, hoc opere complecti omnes maximè momenti veritates, quæ ad perfectionem Christianam spectant; & credo, me paucas earum omisisse. Conatus quoque sum, in quavis materia id, quod solidius, atque ad instruendos, movendosque animos aptius esse judicavi, inserere, atque ita rem agere, ut hæc Meditationes extra & intra religiosa claustra degentibus æquè forent accommodatæ; etsi earum quædam solis conveniant hominibus profanis; quarum loco homines Religiosi repetere poterunt Meditationem diei præcedentis, Deumque laudare, quod mundi periculis non sint expositi.

Cum certæ dentur veritates, quæ nec considerari, nec penetrari nimium possunt, atque potissima mortalium pars damnetur, quod eas non ritè perpendant, consultum fore credidi, si singulis mensibus easdem insererem. Tales sunt, quæ agunt de fine hominis, de cura salutis, de peccato, de fine ultimo, de poenitentia, de imitatione Christi, & amore Dei. Invenientur quoque singulis ferè mensibus de humilitate; cum hæc æquè necessaria, ac rara

PRÆFATIO.

virtus sit, & de tepore in cultu divino, idcirco, quòd hic defectus iis etiam Christianis, qui minùs dissoluti videntur, non minùs communis, quàm periculosus sit. Ceterùm, licèt hæc materiæ singulis mensibus redeant; cum tamen & perquam amplæ sint, tamque diversas, ut ita loquar, facies præferant, diversas semper ratione considerationi subiiciuntur; atque modo tam diverso hîc tractantur, ut eadem esse non videantur.

Addidi Cogitationes Christianas de omnibus mysteriis Servatoris nostri, neque religioni mihi duxi, quibusdam uti cogitationibus, quæ de mysteriis Christi Domini continentur meo libello exercitiorum spiritualium; cuj de iisdem materiis solidissima, ac aptissima inserui. Sed præterquam quòd hîc inventurus sis multas cogitationes novas, advertes, eas ipsas, quibus jam usus sum, speciem habere penitus novam, meque eas stylo nervosiore exprimere. Eandem libertatem mihi concessi in cogitationibus, quæ spectant ad amorem Jesu Christi, sed iisdem præcautionibus, queis usus sum in libris, quos hisce de materiis in lucem edidi.

Quod attinet ad Festa mobilia, quæ colendis Christi Domini mysteriis tribuuntur, & in diversos menses incidere possunt, posui ea ad finem mensis, quo plerumque celebrantur. Quivis eis diem assignare poterit, quo illo anno ab Ecclesia coluntur. Ad finem mensis Aprilis posui octo Considerationes Christianas de cruciatibus Domini nostri, cum eis Ecclesia hoc tempore peculiariter sit intenta; & totidem pro Octava Sanctissimi Sacramenti, ut piis animabus materiam suppeditarem, qua tam sancto tempore sese occupare possent.

Cùm

P R Æ F A T I O .

Cum nihil majoris sit momenti, quam grandem de Deo opinionem concipere, atque ad hoc sufficiat eum cognoscere, censui cuius mensi inspergendam unam, alteramve considerationem Christianam de Majestate, & perfectionibus Dei. His adjeci Cogitationes Christianas de omnibus mysteriis Beatissimæ Mariæ Virginis, nec ullus est mensis, quo illius non fiat mentio: quod lubens præstiti, tum, ut meum erga Matrem misericordiae zelum testificarer, tum, ut ardenti studio obsequerer tot piarum animarum, quarum præcipua cura est eandem venerari.

Non censui, in hoc libro ponendas esse cogitationes Christianas pro Festis Sanctorum, quia meliorem partem operis sibi vendicarent, cujus scopus est brevi compendio exhibere omnes præcipuas veritates, quæ ad mores, & Christianam perfectionem spectant, iisque multos fidelium instruere, quibus vel zelus, vel otium deest, legendi magna opera hisce de rebus composita. Nihilominus cum in modum rem agere potui, ut veritates, quæ inveniuntur in Festis Sanctorum magis celebrium, vel in quos plerique hominum majori feruntur pietate, quandam haberent cum præcipuis horum Sanctorum virtutibus convenientiam. Hinc plerumque eorum etiam facio mentionem.

Pro iis, qui habere desiderant Meditationes in Evangelia anni, confeci indicem, qui ad finem cujusvis voluminis invenietur; ubi notavi veritates cujusvis Evangelio consonas.

Liber iste suppeditare materias sacrae solitudinis poteris iis, qui eidem quotannis vacare consueverunt. Et affirmare pos-

PRÆFATIO.

possum, paucos esse menses, in quibus inveniri non possint Meditationes propriae, quibus quis se occupet per octo, vel decem dies, qui plerumque huic solitudini tribuuntur: Meditationes praesertim primi mensis ad hunc finem, in optimum ordinem digestae sunt. Interea ad plurimum commoditatem posui in fine ultimi mensis indicem, in quo annotavi materias Meditationum, & Considerationum eo ordine, quo faciendae sunt. Cogitationes istae minus breves videbuntur, quam illae, quae pro singulis diebus mensis fuere scriptae. At denique omnes istae satis erunt nervosae: spero proin non fore, ut nimis proluxae tibi judicentur, habita ratione materiae, quam comprehendunt. Ordo, quem hic observare placuit, breviusculae quaedam ratiocinationes, quas inserui, & affectus, quibus eas animandas censui, me coegere, ut eas nonnihil extenderem.

Si cogitationes istae, seu Considerationes pro materia Meditationis sumantur, poterunt ii, qui plus facilitatis in meditando habent, unico puncto contenti esse, si eò satis occupari se posse deprehendunt. Aliis verò, qui hac facilitate carent, molestum non accidet, invenire eas proluxiores, magisque digestas. Praeterea, quemadmodum affectiones animi dissimiles sunt, sic id, quod uni placet, alteri displicet. Et propterea modica abundantia nihil destruit, cum hominibus ansam pro libitu eligendi praebet.

Si cogitationes istae, seu Considerationes sumantur pro materia lectionis, proluxae nimis esse non videbuntur, idcirco, quòd nullum ferè punctum sit, quod attentè legi, saltem intra medium horae quadrantem non possit. Neque-

PRÆFATIO.

que invenitur homo, quantumvis negotijs implicitus, qui tantum otij reperire nequeat. Et sanè id non reperire, reapse non est tempore carere, sed potiùs salutis suæ studium penitus negligere.

Cùm non paucæ familiæ Christianæ sub vesperum domesticis suis aliquid prælegere consueverint, utiliter iis legi potest aliqua piarum istarum cogitationum, quæ materias complectatur omnibus convenientes.

Cùm cogitationes mensuræ velut exemplar, mihi proposuerim, eandem quoque methodum secutus sum. Porro tria semper puncta, & cujvis cogitationi praxin, & huic unum è sacris litteris, & alterum è sancto quodam Patre locum subjunxi. Non repeto hic admonitionem, quæ posita est in capite libri Cogitationum Christianarum pro singulis diebus mensis, quas æquè, ac istas sequi oportet, cùm liber hic omnium teratur manibus.





I N D E X
CAPITUM
Hoc Volumine con-
tentorum.

Januarius.

Dies 1. De Myſterio Circumciſio-
nis

Dies 2. De fine hominis. Neces-
ſarium eſt Deum glorificare, ei-
que ſervire.

Dies 3. De cura ſalutis. Nego-
tium ſalutis eſt noſtrum nego-
tium.

Dies 4. De peccato mortali. De
odio, quo Deus illud proſequi-
tur.

Dies 5. De peccato veniali.

Dies 6. De Myſterio Epiphaniæ.

Dies

Capitulum.

Dies 7. De Morte. De utilitate
memoriae mortis.

Dies 8. De iudicio particulari.

Dies 9. De Inferno. De poenarum
aeternitate.

Dies 10. De necessitate poenitentiam
agendi.

Dies 11. De poenitentiae dilatione.

Dies 12. De integritate poenitentiae,
seu de contritione.

Dies 13. De sinceritate poenitentiae,
seu de bono proposito.

Dies 14. De sinceritate poenitentiae,
seu de satisfactione.

Dies 15. De confessione.

Dies 16. De relapsu in peccatum.

Dies 17. De superbia.

Dies 18. De ira.

Dies 19. De invidia.

Dies 20. De vindictae desiderio,
& injuriarum oblivione.

Dies 21. De respectu hominis.

Dies 22. De tempore in obsequio
divino.

Index

- Dies 23.* De Imitatione JESU
Christi.
- Dies 24.* De commodis humilitatis.
- Dies 25.* De patientia in adversis.
- Dies 26.* De fervore in cultu divino.
- Dies 27.* De pietate in Beatissimam Virginem.
- Dies 28.* De Amore Christi. Amare Christum debemus, quia similis nobis factus est.
- Dies 29.* De præcepto amandi DEUM.
- Dies 30.* De immensitate, seu præsentia DEI.
- Dies 31.* De Paradiso cœlesti.

Februarius.

- Dies 1.* De fide.
- Dies 2.* De Purificatione Sanctissimæ Virginis.
- Dies 3.* De bono usu temporis.
- Dies 4.* De fine hominis. necessarium

Capitulum.

rium est, ut homo Deum glorificet.

Dies 5. De abusu gratiarum.

Dies 6. De morte. De necessitate mortis.

Dies 7. De brevitare vitæ.

Dies 8. De iudicio extremo. De sublimitate, & Majestate Judicis.

Dies 9. De Inferno. De pœna damni.

Dies 10. De cura salutis. Salus est negotium nostrum.

Dies 11. De gravitate peccati.

Dies 12. De pœnitentia.

Dies 13. De frequenti confessione.

Dies 14. De scandalo.

Dies 15. De inani gloria.

Dies 16. De cognitione sui ipsius.

Dies 17. De peccato libidinis.

Dies 18. De fuga occasionum.

Dies 19. De tepore.

Dies 20. De peccato veniali. Id ducit ad mortale.

Index

Dies 21. De rebus adversis. Res adversæ signa sunt amoris Dei erga nos.

Dies 22. De oratione.

Dies 23. De mansuetudine.

Dies 24. De præcepto amandi proximum.

Dies 25. De præcepto amandi Deum.

Dies 26. De imitatione JESU Christi.

Dies 27. De conformitate voluntatis nostræ cum divina.

Dies 28. De misericordia DEI.

Martius.

Dies 1. De fine hominis. Homo servire DEO debet, quia is Creator ipse est.

Dies 2. De fervore in cultu divino.

Dies 3. De cura salutis. Negotium salutis nostrum est negotium.

Dies 4. Gratia fideles nos esse oportet.

Dies 5. De peccato mortali. De
vin.

Capitulum.

vindicta, quam Deus de eo sumit.

Dies 6. De animi motione dominante.

Dies 7. De ambitione.

Dies 8. De usu recreationum.

Dies 9. De detractioe.

Dies 10. De memoria mortis.

Dies 11. De examine peccatorum occultorum in iudicio particulari.

Dies 12. De separatione reproborum ab electis in iudicio extremo.

Dies 13. De Igne inferni.

Dies 14. De Paradiso cœlesti.

Dies 15. Conversio non differenda.

Dies 16. De fructibus pœnitentiæ.

Dies 17. De relapsu in peccatum.

Dies 19. Directioni divinæ se committere decet.

Dies 20. De neglectu minimorum.

Dies 21. De Mortificatione Christiana.


Index Capitulum.

- Dies 22.* De Eleemosyna.
Dies 23. De exemplo Christi.
Dies 24. De motivis humilitatis.
Dies 25. De Annuntiatione Be-
tiffimæ Virginis.
Dies 26. De Myfterio Incarna-
tionis.
Dies 27. De contemptu mundi.
Dies 28. De necessitate bonorum
operum.
Dies 29. De fiducia in Deum.
Dies 30. De amore in Christum.
Dies 31. De unitate DEI.

F I N I S
Indicis primi Volumi-
nis.



CON-



CONSIDERATIONES
CHRISTIANÆ.

Pro Singulis Anni diebus.

JANUARIUS.

DIES I.

De Mysterio Circumcisionis.

I.



Ater Æternus, dum nomen
JESU Filio suo imposuit,
eundem obligavit ad sube-
undam Circumcisionem, &
Circumcisio eum impulit

ad sese deprimendum, subijciendum, &
patiendum. 1. Non potuit mereri nomen
IESU, nec esse Servator, nisi se deprimen-
do. Non potuit esse Servator, nisi â pec-
catis nos liberando, nec ab ijs nos liberare,
nisi ijs se onerando, nisi peccatoris figu-
ram assumendo, nisi peccati characterem
corpori suo per Circumcisionem impri-
mendo. 2. Non potuit esse servator, ni-
si â servitute dæmonis nos liberando, nec
ab ea nos liberare, nisi formam servi indu-
endo

*In similitu-
dinem Car-
nis peccati
Rom. 8. v. 3.*

*Formam ser-
vi accipiens.
Philip. 2.
v. 7.*

*Imposuerunt
super caput
ejus causam
ipsum scri-
ptam: hic
est Iesus.
Matth. 27.
v. 37.*

endo, & omnibus legis antiquæ servituti-
bus se submittendo. 3. Non potuit mere-
ri nomen IESU, nisi patiendo, nec esse ser-
vator hominum, nisi pro eis se tradendo.
Imò ad implenda hæc servatoris officia vix
natus sanguinem suum fundit. Nomen Ie-
sus unica dolorum, & mortis ipsius causa
est.

II. Nomen IESU, omnia depressionum,
subjectionum, & dolorum incommoda li-
beraliter ei compensat: hoc nomen expri-
mit, & repræsentat omnes sublimitates,
& perfectiones parvuli istius Circumcisi.
Si enim IESUS est, tunc servator est; si ser-
vator est, DEUS est; & si DEUS est, tunc bo-
nus est, misericors, sapiens, sanctus, po-
tens est. Omnes hi tituli convenire ipsi
debent, ut servator sit. Hoc nomen om-
nes ipsius virtutes comprehendit. Si ser-
vator noster est, tunc Archetypum nost-
rum est; si archetypum nostrum est, neces-
se est, ut sit humilis, patiens, mitis, obe-
diens, officiosus. Hoc nomen omnes ejus
titulos complectitur: si servator noster est,
tota sua sublimitate, & bonitate in nos fer-
ri debet. Iraque Rex noster, Magister no-
ster, dux noster, pastor noster, Pater noster,
Frater noster, Advocatus noster, Medi-
cus noster est. Si IESUS est, si servator no-
ster

ster est, tunc omnium bonorum, quæ nobis accersit, fons esse debet, ab omnibus malis nos liberando. *IESUS meus, & omnia* quantam hoc ei nominis celebritatem, & gloriam, quantam verò nobis felicitatem, & solatium conciliat!

III. Si *IESUS* mereri nomen *IESU* non potuit, nisi corporis sui Circumcisionem admittendo, nisi se deprimendo, nisi se subiiciendo, nisi patiando, nos, cum peccatores simus, nec virtutem hujus Nominis participare, neque ad æternæ salutis felicitatem aspirare possumus, nisi cor nostrum circumcidendo, hoc est, spiritum nostrum deprimendo, immoderatas animi commotiones subigendo, cor nostrum affliciendo. Peccator per peccatum infra omnes Creaturas se abiecit. Centrum peccati vel nihil, vel inferorum barathrum est. Hic peccator esse debet; an igitur nimium se deprimere, an nimium demittere se potest? ubicunque demum sit, si in inferno non est: semper in loco sublimiore versatur, quam esse mereatur. Peccator, ut salutem consequatur, debet animi sui motus subigere, naturam suam domare: potestne melius, quam hac ratione, compensare falsam, & infelicem libertatem, per quam divino se iugo subduxit; peccator, ut salutem ob-

Considerationes Christianæ.

Januarius. tineat, pœnitentiam agere debet; potestne autem eam agere, quin cor suum affligat, quin id vivo, sinceròque dolore conterat? ad peccata sua eluenda sanguinem suum profundere deberet, id verò cum præstandi desit occasio, saltem lacrymis ea suis eluat. Quàm parùm exigitur, ad salutem æternam consequendam! quanta verò felicitas, eam consequi! ô quàm liberaliter hæc felicitas omnes hæc pœnas compensat!

Pete à IESU Christo per nomen servatoris, quòd in hoc mysterio gerit, ut gratiam tibi imperiatur, ejusdem experiendi virtutem, concedendo tibi gratias necessarias ad salutem consequendam. Decerne simul ita te ad eam præparare, quemadmodum IESUS se præparavit, ut gloriosum hoc nomen mereretur.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo. *Habac. c. 3. v. 18.*

IESU, esto mihi IESUS, & salva me. *Aug.*

DIES. II.

De fine Hominis.

*Necessarium est Deum glorificare,
eique servire.*

• I.

UBi eras ante centum annos? in tuo nihilo, quis inde te extraxit? Deus, qui
fin-

singulari privilegio, quod mereri non potuisti, ad Imaginem suam te creavit. At quem in finem te creavit? ut eum glorificares, eum cognosceres, & amares, ei servires, voluntatem ejus faceres, mandata ejus servares. Hæc omnia eodem recidunt. Nam ipsum glorificas, dum eum cognoscis, & amas; amorem tuum ipsi testaris, dum ei servis. Ministerium, quod à te exigat, est ejus voluntatem facere; & hanc facis, si præceptis ipsius obsequeris.

Januarius.

II. Deus potuit te non creare: sed posito, quod te creaturus esset, alium tibi finem præfigere non potuit quàm seipsum. Ipse non minùs necessariò ultimus tuus finis, quàm Principium tuum est. Adeoque, quemadmodum non potes esse, nisi per ipsum, sic esse non potes, nisi propter ipsum. Atque hæc obligatio tibi à Natura insita est, vel potiùs, ut sapiens inquit, totam tuam constituit naturam.

Hoc est omnis homo. Sicut ergo homo esse non potes, quin corpus habeas, & animam; Sic homo esse non potes, quin Deo servire tenearis. Deus ipse quantumvis omnipotens sit, hac obligatione immunem te reddere non potest. Verum quidem est, DEUM tibi tuam relinquere in agendo libertatem, legem suam vel im-

Eccl. 12.

Iannarius.

plendi, vel violandi. Sed, ô infelicem libertatem! & funestam potestatem! vae tibi, si eâ abutaris!

III. Hoc igitur est *unicum illud necessarium*, de quo servator loquitur. Necessarium non est, ut magna polleas *Authoritate*, divitijs, sapientia, fortuna; necessarium verò est, ut DEO servias. Necessarium non est, ut sis in hoc vitæ statu, in hoc officio, in hac dignitate; sed necessarium est, ut in ea DEO servias. Necessarium non est, ut commoda utaris valetudine, voluptatibus gaudeas, naturæ donis probè sis instructus; sed Necessarium est, ut eas ad DEUM referas. Hic esse debet omnium motuum tuorum scopus, omnium actionum tuarum finis; nec ulla earum est, quæ ad DEUM collimare non debeat. Eheu! inveniturne forsan vel unica in vita mea, quæ unice ad ipsum directa fuerit? quàm multi discedunt è mundo, ignari, cur in mundum venerint? quàm multi, cum id nō ignorârint, vivere, quasi id ignorâssent. An non et ego ex eorum numero sum?

Sæpe te ipsum interroga: Cur sum in mundo? quem in finem DEUS me Creavit? & erubescere, quòd hæctenus vixeris, quasi hoc non scivisses.

Dea

Deum time, & mandata ejus observa; Januarius:
hoc est enim omnis homo. *Eccl. 12. v. 13.*

Libera servitus apud Dominum, ubi non
necessitas, sed charitas servit: *Aug.*

DIES III.

De Cura salutis nostræ.

Negotium salutis est nostrum negotium.

I.

NEgotium salutis propriè negotium no-
strum est, quia totum ejus emolumen-
tum in nos redundat. In alijs negotijs rarò
ille, qui laborat, fructum laboris refert; certè
rarò maximum. Agricola seminat, & me-
tit; at sæpe non sibi. Parens aliquis labori
se impendit, ut divitias congerat, verùm
hoc facit, ut liberos suos ditet, quos tamen
frequenter ingratos experitur. Judex ali-
quis satis charò munus quoddam emit, hoc
est, necessitatem, se Reipublicæ faciendi
victimã, alienis nugis se torquendi. Quid &
hiscè lucratur? Vanum honorem. Qui se-
minat, inquit Servator, non est semper is,
qui metit. *Alius est, qui seminat, & alius, qui
metit. Jo. 4.*

II. Sed in salutis negotio is, qui laborat,
solus est, qui totum inde commodum perci-
pit; nemo cum eo partitur; Si seminas, in- *Gal. 6. v. 3.*

Januarius. quit Apostolus, tunc etiam messem colliges semini, quod jecisti, congruentem. *Si seminas in spiritu*: id est: si vitam agis piam, & Christiano dignam, *de spiritu metes vitam æternam*. Si oras, si jejunas, si pauperi stipem elargiris, si sensus tuos refrenas, si carnem tuam crucifigis, tota inde proveniens utilitas tua erit; & quidem utilitas magna, quæ usque ad centuplum in hac, & ad infinitum in altera vita se se extendet.

III. si negotium salutis nostræ, negotium nostrum est, si utilitas inde profecta ad nos pertinet; quæ fit, ut eam tantopere negligamus? *Qui sibi nequam*, inquit sapiens, *cui bonus erit?* Nos ad eò comòdorum nostrorum amantes & solliciti sumus, quæ fit, ut in re tanti momenti, qualis est salus nostra, ubi de omnibus, & de ipsa quoque æternitate agitur, in tam stupida tranquillitate vivamus? Profectò, cum nobis dicitur: Hoc ad te pertinet, hoc tuum est negotium, quid non molimur? omnem adhibemus industriam, omnem obicem frangimus. anne majoris momenti negotium nobis incumbit, nobis magis est proprium, quàm salus nostra; quàmnam igitur ratione fieri dicam, ut nostri ipsorum amor, qui de rebus nihili, ubi eæ ad nos spectant, tam sollicitos nos reddit, tam inauditâ tranquillitate nos frui
finat

Ecclii 4. v. 5.

finat in illo negotio, è quo nostra pender *Januarius.*
æternitas? Languor iste tranquillitas non
est; sed sopor, imò Lethargus. An expe-
ctabimus, dum in morte evigilemus?

*Probè percipiamus, omnia alia negotia curam
aliquam mereri posse, sed nullum esse præter nego-
tium salutis, quod sollicitudinem nostram merea-
tur, atque in hoc unico amorem nostri ipsorum ju-
stum esse, nec nimis ardentem esse posse.*

Quæ enim seminaverit homo, hæc &
meret. *Gal. 6. v. 8.*

Nulli parcas, ut foli animæ parcas. *Hieron.*

DIES IV.

De Peccato mortali.

De odio, quo Deus illud prosequitur.

I.

Nemo peccatum committeret, si id per-
fectè cognosceret. Perfectè id cog-
noscere sufficit ad infinitum ejus odium ho-
mini ingenerandum. Verùm, ut id per-
fectè cognoscatur, necessaria est perfecta
cognitio DEI. Majestas DEI unica est
mensura magnitudinis, & malitiæ peccati:
nam quemadmodum DEUS supremum bo-
num est, sic peccatum supremū malum est:
nec DEUS magis est amabilis, quàm peccatū
sit odiosum. Imò DEUS ita peccatum odit,
quan-

Januarius.

quantum se ipsum amat; atque eadem rationes, quæ DEUM impellunt ad se amandum, eum quoque impellunt, ad peccatum odio prosequendum, veluti sibi infinite oppositum. An non & ego eadem habeo rationes DEUM amandi? An non eadem habeo, odio in peccatum ardendi? quanam ergo ratione fieri potest, ut illud amem?

II. Amor, quo DEUS se ipsum amat, & causa, & mensura est odij, quo in peccatum fertur: adeoque sicut DEUS se amat amore æterno; nec momentum ullum fuit, quo se non amaverit, sic peccatum odit odio æterno, nec ullum fuit unquam momentum, quò illud non oderit. Quemadmodum se amat amore tam necessario, ut ab amore sui desistere non possit, quin DEUS esse cesseret, sic peccatum odit odio tam necessario, ut ab ejus odio desistere non possit, quin DEUS esse cesseret. Quemadmodum DEUS se amat amore infinito, ita, ut magis amare se non possit, quàm se amet; sic peccatum odit odio infinito, ita, ut illud magis odisse non possit, quàm oderit. Quid? DEUS peccatum odit odio æterno, necessario, infinito; & ego id amare possim? DEUS peccatum odit, quia se ipsum amat. Unde ego, quia peccatum non odi, DEUM non amo.

amo. Et quoties peccatum amavi? An Januarius.
non etiamnum illud amo?

III. Quidnam incitare DEUM potest ad hoc odium æternum, necessarium, infinitum, quo peccatum averfatur, nisi ira quædam huic odio respondens, desiderium se vindicandi æternum, necessarium, infinitum. Et quousque vindictas suas non extendat ira odiò tam vehementi animata, atque infinita potestate suffulta? Et sic odium non formidamus, & peccatum, quod nos tam horrendis iræ Omnipotentis effectibus exponit, non avertamus? Et illud non vitamus? imò potiùs amamus; & quotidie committimus? quanta cæcitas! Et verò, an non nos ipsos odimus, dum peccatum non odimus, quod DEUS infinite odit, & quod nosmer ipsos odij divini, ejusque terribilissimarum vindictarum scopum facit?

Conemur nobis persuadere, quòd sicut DEUS nihil odit, nisi peccatum, sic nihil sit, nisi peccatum, quod odisse debeamus, imò quòd satis id odisse non possimus. Petamus frequenter à DEO, ut nobis ostendat, quid sit peccatum; cum hoc certum sit medium, id odio prosequendi & vitandi.

Odio sunt DEO impius, & impietas ejus.

Sap. 14. v. 9.

Parum tibi esset, quòd esses injustus, nisi
cum

cum

Januarius. eum iniustum esse voluisses, à quo in te vindicari noluisses. *Aug.*

DIES V.

De Peccato veniali.

I.

Peccatum veniale, tam est offensa DEI, quàm mortale; sed minor. Id, quod peccato convenit mortali, convenit & veniali; sed alia ratione. Atque hinc conficitur, si peccatum mortale quidam contemptus est Majestatis divinæ, peccatum veniale esse defectum reverentiæ erga illam: si illud est odium contra Bonitatem hanc infinitam, peccatum veniale esse defectum amoris in eandem: Si primum est rebellio adversus supremum hunc Dominum, alterum esse submissionis defectum: Si primum Creatori præhabet creaturam, alterum creaturæ præstare obsequium, cum imminutione illius, quod Creatori debetur: Si primum est jactura charitatis, alterum esse ejusdem remissionem, quæ sensim ad hanc jacturam ducit: Si primum est legis violatio, alterum ejusdem esse neglectum. Si primum est aberratio à fine ultimo, alterum esse deflexum, qui non raro ad aberrationem perducit.

II. Pec-

II. Peccatum veniale est offensa DEI; *Januarius,*
itaque & malum DEI. Potestne verò ma-

I. Est, id tam necessario DEO displicere, ut
illud æquè parum approbare, quàm DEUS
esse cessare possit. 2. Sequitur expedire,
ut omnes tam homines quàm Angeli, quin
rerum universitas in nihilum revolveretur,
quàm ut vel unicum veniale admittatur;
atque id committi non posse ad quæcunque
mala avertenda; quia omnia hæc mala sunt
mala creaturarum. At verò omnia ista
creaturarum mala, quantacunque illa sint,
comparari nunquam poterunt cum minimo
malo Creatoris: Quia inter utraque distan-
tia erit infinita. An hanc veritatem credi-
mus? & cur ea non credatur, cum articu-
lus Fidei sit? & quomodo ea cum nostra
vivendi ratione convenit?

III. Heu me! Si hanc veritatem, mi DEUS
credidissem, vel saltem bene penetrâssem,
an tam facilè, & cum formidine tam mo-
dicâ peccata venialia commississem? An
adeò incautus in ijs evitandis fuisset,
tamque temerarius in ijs committendis?
An tam facilè abripi me passus essem ad
hanc inanem gloriolam aucupandam, ad
hanc voluptatem, ad hanc impatientiam,
ad hanc Zelotypiam, ad hunc jocum malig-
num,

Januarius. num, ad levem hanc detractionem? An nihilum reputâssem levem hanc displicentiam, leve hoc mendacium, hunc hominum respectum, hanc in templo irreverentiam, hanc in precibus mentis evagationem, voluntariam hanc in iisdem negligentiam? anne centies dixissem, sicuti feci: Hoc non est, nisi peccatum veniale? At quantopere mihi met impolui: Hoc est malum tam grande, ut in ruina totius universi, destructio Angelorum, & omnium hominum cum hoc malo in comparationem venire non possint? Et hoc tamen est illud malum, quod toties joci, & oblectationis causâ feci. Væ mihi Domine, si delectationem capio à tanto malo! Væ mihi, si animi remissionem reputo, voluntariè tibi displicere!

Peccatum quantumvis leve, semper æstima magnum esse malum; idcirco, quòd sit malum DEI; & statue, citiùs maxima quævis mala perpetrati, quàm huic voluntariè se exponere.

Qui timet DEUM, nihil negligit. *Eccl. 7. v. 9.*

Nescio, an possim leve aliquod peccatum dicere, quod in DEI contemptum admittitur. *S. Eucherius.*

DIES

DIES VI.

De Mystero Epiphaniæ.

I.

JESUS Christus, vix dum natus, de tuâ salute cogitat, dum in persona Magorum ad fidem te vocat. Quanta Bonitas! novam in cælo stellam procreat, adventum suum nuntiaturus. Quanta potentia! Magi, ut primum stellam conspiciunt, viæ se accingunt, JESUM quæsituri. Quanta fidelitas! Quanta promptitudo! Tanto jam tempore gratia me impellit; & ego necdum ei morem gessi. Quanta infidelitas; quanta socordia! Præterea necesse eis est, regnum deserere, longum & difficile iter fulcipere, etsi viæ terminum ignorent, multum se fatigare, multa pericula subire. Quanta obstacula! Sed agitur de JESU quærendo. Hoc ipsis sufficiens est incitamentum ad omnes perfringendos obices: felicissimos se reputant, modò reperire eum queant. Quanta animi magnitudo! Heu me! tanto jam tempore JESUS me vocat: nec id me lateret, eum DEUM meum esse, agnosco; nec tamen eum quæro; imò fortasse fugio. Vel si eum quæro, minimam etiam difficultatem horreo! quæ ignavia!

II Quæ-

Januarius. II. Quanta fuit Magorum fides? stabulum, præsepe, stramen, hæc omnia ipsos non terrent, sed potiùs Palatij ipsius & regii solii sunt loco. Infantis hujus humilitate, paupertate, miseria non offenduntur. Fides eorum, cum viva sit, intra momentum eis ostendit, humilitatis gloriam, paupertatis divitias, hujus in speciem miseriæ felicitatem, fiuntque simul Christiani, & perfecti Christiani. Et ego, qui tanto jam tempore Christi signa sequor; etiam nū tam imperfectus & ignavus sum, ut servatoris mei humilitate, & paupertate quotidie offender. Illi sub hac vilitate agnoscunt DEI sublimitatem & Majestatem; sub hac imbecillitate, interminatam potentiam, & simul ac illum agnoscunt, illum amant, illum adorant: Ego non minus eam agnosco, quàm ipsi. Fides id me docet, hæc me convincit. Verùm tantum abest, ut humilem istum statum, in quem amore mei se demisit, adorem, ut potiùs contemnam, & mea vivendi ratione damnem.

III. Magorum fides nec sterilis, nec avara; sed fæcunda & liberalis fuit. Hæc ipsos ad agendum impulit; hæc ipsos ad dandum animavit. Hi Christo aurum thus, & myrrham obtulere veluti signa na-

tura-

turalia sacrificij illius, quod ei è Bonis, ex ^{Januarius.} honoribus, & delicijs suis immolabant; ut se addictos profiterentur statui paupertatis, demissionis, & mortificationis, in quem illum amore ipsorum redactum esse cernebant: tum ut pignora visibilia Donationis non visibilis, qua sua ei corda devovebant; amantibus enim nihil difficile est: Ubi quis cor suum donavit, nihil ampliùs habet, quod suum sit. Hi, ut primùm Christum viderunt, eum cognoverunt; ut primùm eum cognovère, eum amârunt, & simul, ac eum amârunt, ei se penitus consecrârunt.

Tantum jam temporis effluxit, quo Christum cognoscis; tantum temporis effluxit, quo is cor tuum exigit; an id ei dedisti? Ipse se totum tibi donat; an nimium à te exigit, dum à te petit, ut totum te sibi dedices? An ergo aut perdendum, aut saltem perdendi periculo aliquid exponis, cùm totum te ei largiris? Cur ergo tantopere cunctaris?

Iunge te his Magis ut cum eis Christo debitum obsequium præstes. Imitare eorundem liberalitatem. Offer ei totum id, quod possides. At, si te ipsum ei non dederis, contentus non erit.


Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei. *Psalm. 71 v. 11.*

Indevotus est vacuus adorator. *Chrysol.*

B

DIBS

Januarius.



DIES VII.

De utilitate memoriæ Mortis.

I.

PLerique hominum, aut vitant, aut à se repellunt mortis memoriam, quasi hac cogitatione repulsa mortem ipsam evitaremus. àne periculum evitamus, dum id nobis celamus? An non aptius eam vitandi, vel prævertendi medium est, id nosse, ejus meminisse? Verùm mortis meminisse nolumus, quia eam magnopere formidamus; cùm tamen formidinem hanc superandi, vel certè moderandi præsentius non sit remedium, quàm crebrò ejusdem recordari: inopinata certè nos haud obruet, ubi eam mentis oculis, frequenti nimirum ejus recordatione, cominus, ut ita dicam, contemplari assuescimus. Præterea, si frequenter de morte cogitamus, tolluntur causæ, quas habemus, eandem formidandi. Quis tibi mortis timorem incutit? Amor, quo Bona terrena, & peccatum prosequeris. Spiritus sanctus nos docet, nihil facilius nos à bonis terræ & peccatis, queis amor iste nos implicat, avertere, quàm frequentem mortis memoriam. De hac cogita, & non peccabis amplius.

Ecol. 6. v.

40.

II. Ar.

II. Arti bene moriendi addiscendæ ni- Januarius.
 miùm nos impendere non possumus, nec,
 quod inde sequitur, nimiùm de ea cogita-
 re. Hæc enim ars est, cui toto vitæ tem-
 pore Studendum: *Totâ vitâ discendam est mori.*
 Si ignoratis omnibus alijs artibus, hanc
 sciam, quid ultrâ desiderem? hæc ars prope-
 modum est unica, quæ impunè ignorari
 non potest. Non possumus discere ni-
 miùm id, quod non nisi semel effectui da-
 tur, tantique momenti est, ut, si felicem
 non fortiatur exitum, omnia, & quidem
 æternùm in perditis habeantur. Artis
 bene moriendi periculum facere nulli con-
 ceditur. Opus primum omnibus nume-
 ris absolutum ut sit, necesse est. Error,
 quem hic admittis, emendari non potest:
 hic non nisi unico passu opus est, ut à tem-
 pore ad æternitatem transeat: primus
 ad eam gressus est simul ultimus: si quis
 vel semel vestigio fallitur, in præcipitium
 cadit, è quo emergere nunquam potest,
 nempe ex æterna infelicitate. Quantus
 lapsus? hic reparari non potest, præveniri
 tamen potest, frequenti videlicet mortis
 recordatione. Et cur id non facis? cur e-
 tiam ejus oblivisci studes? imò ob hanc ob-
 livionem felicem te reputas?

Januarius.

III. Et si præcautio, quæ a nobis exigitur ad hoc infortunium evitandum, difficilior foret, absque ulla deliberatione amplecti eam deberemus. Unica, vel certe præcipua est, mortis frequenter meminisse: cum igitur tuta æquè ac facilis sit, qui excusari potes, si eam negligis? si mors evitaretur sæpe de eâ cogitando, an non continuò de eâ cogitares. Atqui, si de eâ cogitas, malam mortem, & infelicitatem æternam, quæ ejusdem est effectus, evadis: & illius meminisse nunquam velles? quanta cæcitas! Ergone mors plus metuenda est, quàm mala mors? vel potius; an non mors, si ea peccato juncta non est, si mala non est, potius optanda est, eò quòd ad felicitatem ducat æternam? Quis igitur fit, ut mortem tantopere formidemus, & malam mortem tam parùm timeamus? cur penitus negligimus tam facile eam evitandi medium, quod est, illius recordari? cujusnam rei memores sumus, si hujus sumus immemores? nunc de ea cogitabimus utiliter, & ad nostram felicitatem. At si modò illius obliviscamur, ejusdem per omnem æternitatem recordabimur, sed sine fructu ad æternam nostram infelicitatem & perniciem.

Statue nullam diem vitæ tuæ prætermittere, Januarius, qua mortis sis immemor. Dic tibi met ipsi, dum manè è lecto te proripis: Heu me! Vesperum fortasse non videbo. Dic tibi, cum vespere cubitum concedis: Heu me! forsàn è lecto isto, quem nunc conscendo, non surgam amplius.

Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccli. 7. v. 40.

Beatus, qui horam mortis suæ semper ante oculos habet. Imit. Christi l. 1. c. 23.

D I E S. VIII.

De iudicio particulari.

I.

ID, quod mortem reddit terribilem, est iudicium, quod eidem succedit. Id, quod iudicium terribile reddit, est examen, quod iudicium præcedit. Examinabuntur hîc peccata, quæ admisimus; bona, quæ omisimus; bona ipsa, quæ malè fecimus. Anima à corpore suo sejuncta statuetur tunc temporis coram Tribunali iudicis sui examen subitura. Sed quis iudex? sed quale examen? Is animæ ostendet peccata ipsius non in falso sensuum ipsius, vel animi affectionum lumine, sed in lumine ipsius mer veritatis. Ipsa de illis idem, quod Deus, sentiet. quæ mutatio! vide-

Januarius.

bit illa non ampliùs suis ignorantijs obscurata, non animi affectionibus fucata, non vanis obtentibus excusata, non falsis rationibus probata: sed talia, qualia sunt in seipsis. Videbit ea non ampliùs aspectu confuso & superficiali, sed distincta, sed singula cum omnibus adjunctis. At quænam sunt hæc adjuncta? magnitudo Beneficiorum, quæ à DEO accepit, & quibus tam perverse abusa fuit; multitudo luminum, & gratiarum, quibus fuit præventa, quasque ipsa fuit aspernata; sanctitatis status, vel religiosi, vel christiani, ad quem à DEO vocata fuit, quemque ipsa prophanauit; media tuta & facilia, quæ habuerat, salutem æternam consequendi, quæ etiam neglexit; Patientia, qua DEUS ipsius peccata toleravit, & qua ipsa fuit abusa. Quæ adjuncta omnia peccatum augebunt; & quantum peccatori horrorem incutient?

II. Examinabitur homo non de malo duntaxat, quod fecit; sed etiam de bono, quod non fecit. Multi æternùm damnabuntur in iudicio DEI non propter peccata, quæ commiserunt, sed propter bona, quæ omiserunt. Si verò nihil fecerunt, inquis, propter quid condemnabuntur? & ego vicissim ex te quero: si nihil fecerunt, propter quid remunerabuntur? interea medium

diū teneri non potest. Meremurne mercedem, si nihil egerimus? Præterea, an non ingens malum est, nihil agere pro DEO, qui, tanta pro nobis egit & passus est? an non ingens malum est, nihil agere, cum DEUS laborare nos jubet? an non servus desidiosus culpæ reus est? an insontem esse credis, si tibi dicit, se nihil fecisse, cum tamē servire teneatur? atque hanc ipsam ob causam illum punis. Ac propter hanc etiam DEUS in iudicio suo te condemnabit: an non jure hoc facit? an conqueri potes?

Januarius.

III. In hoc iudicio homo examinabitur non solummodo de bono, quod omisit; sed & de bono, quod fecit quidem, non verò bene fecit; nam bonum facere satis non est, sed id bene quoque facere oportet. Ut actio quædam bona sit, necesse est, ut ei nihil desit, nec in ejus principio, nec in ejus fine, nec in re, circa quam versatur, nec in adjunctis. Quot sunt, in quibus hæc omnia inveniuntur? quàm leves deprehendentur actiones esse, si pondere sanctuarij fuerint examinatæ? unica circumstantia, unicus hominum respectus, unica proprii comodi habita ratio totum fædare, & e materia meriti materiam æternæ damnationis reddere possunt. *Ego justitias judicabo; dicit Dominus. Et Jerusalem ip-*

Psal 79.

Januarius.

*Sophon. 1.**Prov. 4.**Job. 9.*

sa, nimirum animæ justissimæ indignationem meam non effugient. *sunt via*, inquit spiritus sanctus, *quæ videntur homini justæ; interea deducunt ad infernum.* Iob propter opera sua sanctissima trepidabat; idcirco, quòd DEUS illorum futurus esset iudex, metuebat sibi, ne DEUS inveniret aliquid, cuius ipsum condemnaret in omnibus illis, quæ ad se purgandum esset allaturus. Si vir tam justus trepidabat, cur nos, qui grandium sumus peccatorum rei, adeò tranquilli sumus?

Præverte hujus examinis & judicij severitatem, sollicitè temetipsum examinando, & rigidissimè judicando.

Iustitias judicabo. Psal. 74. v. 3.

Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remorâ misericordiâ, discutias eam. Aug.

DIES IX.

De inferno.

De penarum aternitate.

I.

Maxima mala, si brevía sunt, modica reputari debent. At mala levissima grandia evadunt, si diuturna sunt. si vero sunt æterna, mala sunt infinita. **Quantum**

tum igitur malum erit. universorum malo-
rum congeries continua, & in seipsa
acerba infinite, si insuper sit æterna. &
exaggera damnatorum supplicia, quantum-
cunque voles. Extende spatium diurtu-
nitatis eorum, quousque cogitatio tua per-
tingere poterit. Si ex ijs æternitatem de-
mas, infernus amplius infernus non est.
Infelices isti amplius damnati dicendi non
sunt, quia amplius non desperant. Au-
ferè contrario damnatorum turbæ mag-
nam suppliciorum partem, si æternitatem
ijs non demas, infernus semper perseve-
rabit, & quantumvis pænæ imminuantur,
semper tamen damnati, semper extremè
infelices sunt; quia tales æternum erunt.

II. Æternitas omnibus damnatorum
supplicijs sociatur. Hæc omnem eorum a-
cerbitatem summopere acuit. Si persuade-
re sibi possent, miseriam æternum non
duraturam, vel si saltem hujus æternitatis
ad momentum oblivisci possent, eo ipso
momento damnati esse cessarent. Æter-
nitas alicuj damnato est veluti globus im-
mensus, sub cuius pondere infelix gemit.
Globus iste eum non tangit, nisi unico sui
puncto, & nihilominus rotâ ponderis sui
gravitate eum obruit. Damnati quoque
momento, inquit Tertullianus, totius *Tertull.*

Januarius. prorsus æternitatis pondus sustinent. Eorum animus viderur cùm Justitia Divina ad eos torquendos conspirare, & dum quovis temporis puncto omnia mala imminètia ipsis proponit velut præsentia, totam æternitatem ad eos obruendos colligere; Quovis temporis momento omnia illa perferunt, quæ formidant; omnia ea formidant, quæ prævident; & prævident omnia mala, quæ per totam æternitatem subire debent. Timeamus ea nunc, ut timor iste ijs nos subducere possit. Ad ea timenda plus non est necessarium, quàm eorundem meminisse. An non in hanc miseriam delabi mereremur, si medium non minùs tutum, quàm efficax ijs nos eximendi negligimus?

III. *Semper, Nunquam.* Quàm horrenda verba, ubi de inferorum cruciatibus agitur! Nullum unquam habere bonum, quod optari possit. Semper, & simul omnia prorsus habere mala, quæ timeri possunt; semper pati, desperare semper, sperare nunquam posse. Hæc sunt ad quæ damnatus deductum se videt. Hæc sunt, quæ, æternitate inferni comprehenduntur. Post tot sæculorum milliones, quot sunt in litore maris arenæ, quot in Oceano aquarum guttæ, in aëre atomi, damnatus tamen

in

in æternitatem se ulteriùs non progressum **Januarius.**
esse, quàm prima damnationis suæ die; e-
àmq; solummodo inchoare cognoscet. Post-
quam plures lachrymas fuderit, quàm ne-
cessariæ forent ad conficiendû Oceanû infi-
nitates vastiorem, quàm sit modernus, omnes
hæ lacrymæ ardorem ignium ipsius immi-
nuere non poterunt. Eheu! unica lacry-
ma veræ poenitentia eos nunc extinguere
nobis potest. O æternitas & quidem æ-
ternitas inferni, quàm parùm homines
te credunt! vel quàm parùm te compre-
hendunt! hinc fit, ut tam parùm te for-
mident; hinc tam exiguam præcautionem
adhibent, ut te evitent. An æternitatem
hanc credere, ac timere eò differimus, quan-
do immensum ejus sentiemus pondus,
quando præcisa omnium meliorum spe nos
obruet?

*Statue nec diem prætermittere, quin æterni-
tatis memineris. Si mundus, si dæmon te ten-
averit cujusdam voluptatis, proprii commodi,
aut inanis gloriæ illicio, dic: mereturne id,
quod momento transit, ut ad illud obtinendum
in ignem me conijciam, quo æternum urar?*

Cogitavi Dies antiquos, & annos æter-
nos in mente habui. *Psal 76. v. 6.*

Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in
æternum parcas. *Aug.*

DIES



DIES X.

De necessitate poenitentiam
agendi.

I.

Poenitemini, & credite Evangelio, inquit ser-
uator. Hæc duo conjungit; cùm u-
num sequatur alterum. De veritate E-
vangelij persuasum nobis esse non potest,
quin pariter de poenitiæ necessitate per-
suasum sit: quemadmodum is, qui fide
 caret, salutem consequi non potest; sic ne-
 que is, qui, etsi peccator sit, poenitentiam
 non agit. Verè Christianum esse oportet,
 qui ad cœlum aspirat: at verè Christianus
 non est, qui peccator quidem est, neque
 tamen verè poenitens est. Et sicut Beato-
 rum societati aggregari non meretur, qui
 lustralibus undis ablutus non est; sic neque
 peccator, qui animæ suæ labes per Baptis-
 mum poenitiæ non abolevit. Uterque
 Baptismus æqualiter est necessarius. Pri-
 mus ad delendum peccatum originarium,
 secundus ad eluenda peccata quæ actua-
 lia vocantur. Solum desiderium, supple-
 re primum, non item secundum potest.
 Christus ipse, quòd Archetypon nostrum
 esse

esse deberet, et si non nisi speciem peccato-
ris habuerit, verè pœnitens esse voluit, ut
hanc necessitatem nobis inculcaret, ejusque
praxin facilem redderet. Is peccator in
speciem; at pœnitens reapse fuit. Nos
peccatores reipsa sumus, & pœnitentes in
speciem. Quanta injustitia! quanta per-
versitas!

II. Si pœnitentiam non egeritis, omnes
peribitis. Inquit etiam Christus Iudæis;
& hoc quoque Christianis dicit omnibus,
qui peccatores sunt; & quis talis non est?
neminem excipit, omnes peribitis. Hæ
minæ cunctis intentantur hominibus:
quilibet peccator agere pœnitentiam debet,
vel in hac, vel in altera vita. Aut punire
se debet in tempore, aut à Deo vindice pu-
nietur per totam æternitatem. Utrum
satius est? Damnati in inferno pœniten-
tiam agunt, ait scriptura: Pœnitentiam a-
gentes; plorant, ingemiscunt: O crudelem,
diurnam, sed inutilem pœnitentiam!
pœnitent ipsos in altera vita negligentia,
quam in agenda pœnitentia admisere in
hac vita. Consideratio & formido pœni-
tentia adeò terribilis, qualis est illa, quam
damnati per totam æternitatem acturi
sunt, facillimos reddere & suavissimos de-
bet rigores illius, quam agere in vita obli-
gamur:

Januarius.

Luc. 13. v. 3.

Sap. 5. v. 3.

Januarius. gamur : omnis pœna quantumvis aspera videatur, mitescit, si consideretur velut medium, pœnam æternam certò evitandi.

III. O mi Servator, qui, cum peccator non esses, pœnitens esse voluisti, quòd archetypum meum esses; qui peccatis meis onerare te voluisti, ut ea per pœnitentiam expiares, & amaritudinem gustare calicis, qui tibi non conveniebat; quem tamen bibere voluisti, ut potenti tuo exemplo animum mihi inspirares eundem acceptandi. Tanto tuo exemplo opus mihi erat ad ignaviam meam excitandam; verùm præterea opus mihi est tuâ gratiâ ad debilitatem meam roborandam. Nam, cheu! quàm debilis sum, dum meipsum impugno; certò enim succumbam, nisi tu mihi vires, & animum addas. Nôsti, mi Domine, neminem odisse posse carnem suam, nisi sanctum hoc odium ei inspires, neque hoc odium concipere, nisi tuo moveatur amore. Impertire igitur mihi, Domine, amorem hunc pœnitentem, qui me cogat odio mei ardere, me punire, quisque aptum me reddat ad peccatorum meorum veniam promerendam.

Cum te peccatorem esse agnoscas, statue de pœnitentia agenda seridò cogitare; cum alia via inve-

inveniri nequeat post admissum peccatum ad cælum perveniendi Præter viam pœnitentiæ. Januarius,

Si pœnitentiam non egeritis ; omnes similiter peribitis. *LUC. 13. v. 5.*

Omnis iniquitas puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut à DEO vindicante.

DIES XI.

De Pœnitentiæ Dilatione.

I.

QUam ob causam conversionem differs ?
Estne ergo infelicitas ad DEUM reverti, catenas suas frangere, libertatem suam recuperare ? Estne infelicitas inimico omnipotenti, & irritato reconciliari, pœnæ, ei-que æternæ se subducere ? Omnibus hisce bonis privari, malis exponi ? & nihilominus deliberas, & pœnitentiam indies semper differs ? anni non nisi momenta esse tibi videntur ; quia metuis, ne citò nimis adveniat fatale illud momentum, quod iniquitatum, & servitutis tuæ terminus, libertatisque futurum est initium ; cum è contrario omnia momenta annuam trahere moram videri deberent ob sanctam impatientiam nimiae horum dilatio-
nis. *Sanè mereris, ut injustam injusti*
Me.

Januarius, metûs vindictam Deus eundem promove-
ret.

II. An in eo peragendo nimia celeritate peccare potes, quod, nisi perire velis, necessario præstandum? quodque, dum seriò exequi statuis, ne unquam exequâre, periclitaris. Cùm vix Præsens tuum sit, si præsentis non uteris momento ad tuam conversionem, futurum tibi spondere certò non potes. Cras, ais, vitam meam in meliùs convertam. At á quanto jam tempore sic in crastinam Diem reijcis? quæ semper quidem oritur, nec unquam te meliorem experitur. Cras, inquis. At quis tibi promisit, fore, ut crastina Dies tibi luceat? ille, inquit S. Augustinus, qui veniam promisit peccatori pœnitentiam agentì, crastinum non promisit eandem procrastinanti.

III. At quis denique tuam te Conversionem tamdiu differe cogit? ejus difficultas, asseris; arduum est cæpta mutare, in rectam redire semitam. An nullus ergo in aberrando se labor obijcit? an nulla fatigatio in vijs iniquitatis ambulantes divexat? an nulla occurrit molestia in explendis, nunquam satiandis passionibus, in durissima cupiditarum tyrannide, quibus se peccator in mancipium tradit? an adeò suave
est

est jugum, seu mundi, seu dæmonis; qui ^{januarius.}
ambo Domini sunt non morosi magis,
quàm crudeles? an adeò dulce est sentire
perpetuos oblatrantis conscientie remor-
sus? nihilne tristitiæ sentitur, dum Deo
te hostem opponis, ejus voluntati, ejus
gratiæ pertinax resistis? dum ejusdem in
te furorem provocas, ejusque in te inimici-
tiam accendis, qui singulis te momentis
damnare potest, si vult: & certò volet, si
debitam præstare satisfactionem moraris.
Mutuò difficultates confer: quænam alijs
prævalebunt? an ulla hîc inter has datur
comparatio? si subire aliquas est necesse,
an non satius est exantlare leves, breves,
mille bonorum feraces, quàm non enor-
mes modò, & diuturnos; sed etiam peni-
tus infructuosos. Quid jam de his sentis?
quid ergo deliberas? quid cunctaris?


*Decerne serîo cogitare de tua Conversione, etiam
hodie, etiam hoc momento, quo DEUS hujusce
rei tibi Consilium suggerit, dic cum Propheta:
Et dixi, nunc cæpi. Psal. 76.*

*Non tardes converti ad Dominum, & ne
differas de Die in Diem. Eccli 5. v. 7.*

Christiano non est crastinum. Tertull.

C DIES

januarius.



DIES XII.

De integritate Pœnitentiæ, seu
de Contritione.

I.

Oporteret renuntiare peccato, & quidem sine exceptione: Vel unum excipere, est nulli renuntiare. Ad Dominum rever-
Joël .2.v.12. ti oportet; sed necessarium est, ut id *ex toto corde fiat.* Cor suum DEUM inter, & peccatum dividere velle, est totum DEO subtrahere. In antiqua Lege diversa erant sacrificiorum genera. Lex nova non vult, nisi holocausta; id est, sacrificia victimæ nihil habentia. Fides est sacrificium rationis: Unum solum Fidei articulum non credere, est nullum credere. S. Scriptura Confessionem vocat sacrificium labiorum, unicum peccatum lethiferum voluntariè reticere, non est Confessionem peragere; sed sacrilegium perpetrare. Contritio est sacrificium cordis: Et hoc esse debet holocaustum; Si vel unicum non detesteris, exceptio hæc confessionem tuam non modo reddit inutilem; sed coram DEO abominandam.

II. Pauci inveniuntur etiam in religiosissimis, qui non habeant certum aliquod
 pecca-

peccatum, cui veluti cordis sui delicijs ^{Ianuarius} affectum suum præ reliquis non affigant, & proin semper ei parcere conentur. Ad dictus quis erit probitati, sed erit alienæ obrectator famæ; alius pius erit; at simul morosus, & impatiens; alius mitis erit; sed negligens, & desidiosus. Unus diligens erit, & accuratus; sed opum nimis cupidus; unus charitatis studiosus, & in egenos liberalis; sed nimium sibi indulgens, & voluptati deditus erit: Iste voluptatem non immoderatè amabit, sed honoris nimium appetens minimo quovis contemptu commovebitur, nec ignoscere poterit. Omnia alia peccata DEO immolamus: Sed secretum plerumque propugnaculum in corde gerimus, in quo hoc affectionis peccatum extra omnem teli jactum custodimus. Saulem imitamur, qui DEO non nisi vilissima immolare voluit, & regi Agag pepercit, à quo DEUS exigi pœnas volebat.

I. Reg. 15.
v. 9.

III. Reprobatio Saulis pœna fuit improbæ commiserationis, & sceleratæ coniventia; quâ suadente, parci jussit Principi, quem DEUS immolari sibi voluit. Sic æterna multorum Christianorum damnatio inde oritur, quòd adduci nulla ratione possint, ut certo cuiquam vitio, cui peculiariter

Ianuarus. sunt addicti, valedicant: Et si DEUS unice cupiat, ut eidem renuntient. Sæpe, nec quantitate, nec numero gravissima sunt, quæ æternam nobis perniciem accersunt; sed unicū, cui immoderate adhæremus; atque id non satis sincerè confitemur, vel eo nunquam perfecte nos abdicamus; Neque hac de re cum DEO, nec cum conscientie arbitro, nec nobiscum ipsis sincerâ fide agimus, vel ea dissimulamus, vel imminuimus. At vobis, quia nosmetipsos, nostrumque Confessarium decipiendo, DEUM non decipimus. Omnia alia sacrificia, quæ ei facimus, si huic peccato, cui vel soli affectum nostrum affigimus, pepercerimus; tantum abest, ut eum mitigent, ut potius eum aded exacerbare possint, ut ea cum contemptu & horrore rejecturus sit. Heu me! Si ea quoque, quæ ad placandum DEUM fiunt, eum ad iram provocant, quò tandem confugiam?

Scrutare cor tuum, ut perspicias, cui nam peccato precipue deditus sis. Pete à DEO lumen, quò id cognoscas, & ubi cognoveris, firmiter statue id DEO immolare.

Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras. *Ezeb. 18. v. 31.*

Quomodo potest medicus vulnus sanare, quod ægrotus ostendere erubescit. *Aug.*

DIES

DIES XIII.

De sinceritate Pœnitentiæ, seu
de bono Proposito.

I.

Non satis est habere dolorem de peccatis, sed insuper sincerum habere oportet propositum ea in posterum non amplius committendi. Sinceritatem enim doloris nostri de præteritis, è firmitate metimur propositi deinceps peccata vitandi, ita ut verè pœnitentes nobis jure videamur, si fideles sumus in servandis, quæ concepimus, propositis : Ea enim, si firma sunt, de sinceritate doloris dubitandum non est ; verùm alterutro deficiente, jure suspectum est alterum. Vix unquam peccatorum, quæ admittimus, pœnitentia tangimur, ubi in ijs evitandis firmi, constantésque non sumus : Ille, inquit S. Gregorius, impostor, non pœnitens est, quem delectat eadem peccata perpetrare, quæ paulò antè deploraverat. Ex hisce judicium fer de sinceritate doloris, & bonitate confessionum tuarum.

II. Propositum hoc generosum esse debet : Voluntates debiles, quas velleitates

Iacuarus.

appellant, haud sufficiunt. Harum enim plenus est infernus: Hæ afflictos, & infelices, non item verè pœnitentes nos reddere possunt. Debilia ista peccati fastidia, debiles hæ ad bonum propensiones, morari nos & decipere, justos verò reddere non valent. Ut quis pœnitens sit, satis non est, dicere: Hoc vellem: sed dicendum: volo, & faciam, quantocunque id mihi steterit. Velleitates istæ sunt voluntates cum conditione, quæ nihil penitus proferunt. Hoc vellem, idem est, ac dicere: paratus essem renuntiare peccato, nisi etiam simul renuntiare deberem huic personæ, huic voluptati, huic bono alieno. Insulsa voluntas hæc est, cum à se ipsa dissideat: Equidem vellem, tantundem est, ac dicere: DEUS inspirationibus suis ad vitandum peccatum me animat: & dum ei resisto, motus libertatis meæ, esse impulsus gratiæ, sensum esse consensum, & inefficacia conversionis desideria, esse conversionem mihi persuadeo. An non de hoc tibi hactenus blanditus tibi met imposuisti? An non hoc sub falsa, seu imaginaria pœnitentiæ specie te impediit, quò minus veram pœnitentiam ageres? Modicum illud firmitatis, quod in propositis tuis præ te tulisti, an non sufficiens hujus est argumentum?


III. Propo-

III. Propositum hoc efficax esse debet: Ianuarius.
Piger, inquit sapiens, *vult, & non vult*. Cum enim debilia quædam desideria concipiat; *Prov. 13. v.* sed manum operi non applicet, nec quidquam exequatur, re ipsa non vult. Peccatum efficaciter vitare velle, est media arripere ad finem suum assequendum habilia; quantumvis ea molesta & difficilia sint; Est animum intendere superandis obstaculis, quantumcunque magnis, quæ bonis nostris propositis se opponunt; hoc est, vitare occasiones, quæ peccato nos irretire possunt, quantumvis eæ gratæ sint, propriisque nostris commodis favere videantur. anne haftenus peccato renuntiare voluisti? Si ita se res habet, sincerum est propositum tuum, vera pœnitentia tua; sin verò, quam parum fidere confessionibus tuis [potes? An non de ipsismet pœnitentijs tuis, pœnitentiam agere tibi necessarium est?

Uttere constantiâ & fidelitate in servandis bonis propositis, veluti regulâ, de sinceritate doloris tui judicandi.

Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus ejus operari. *Prov. 21. v. 25.*

Periculosè erratur, quando, quod de DEO est in nobis, de nobis esse putamus. *Bern.*



DIES XIV.

De sinceritate Pœnitentiæ, seu
de Satisfactione.

I.

QUisnam est pœnitentiæ finis? Est, DEO
 satisfacere, nempe reparare injuriam
 eidem à nobis illatam. Itaque severa esse
 debet. Si tu DEO non satisfacis, ipsemet
 justas à te pœnas exiget. DEUS creditor est,
 qui solutionem semper exigere potest. Si
 hoc ita se habet, quid te fiet? *Quàm hor-*
rendum est incidere in manus DEI viventis?
Quàm graves sunt ictus, qui à brachio om-
nipotentis proficiscuntur? Quis habet bra-
chium, sicut DEUS? Pœnitentia justitiæ
 actus est, satisfactionem ergo offensæ adæ-
 quer. Quod qui peccator exequetur? Of-
 fensa est quodammodo infinita, quia Majesta-
 tem aggreditur infinitam; & quid præstare
 potest homo, quod non oppidò finitum sit?
 Debet is Justitiæ divinæ decies mille talen-
 ta, & vix obolum dare potest. An non
 ergo fateri debet, se imparem esse solvendo?
 adeoque de se actum esse, si DEUS è rigore
 debitum exigat?

II. Præ-

II. Præter DEUM nemo erat, qui satisfacere rigori, & æqualem offensæ compensationem offerre potest. Itaque necessarium erat, ut Filius DEI humana carne assumpta, in cruce moreretur: in qua Patri æterno sanguinem suum obtulit, qui pretij est infiniti, ad offensas nostras sarcindas, & Justitiæ divinæ plenè satisfaciendum. Verùm hoc pretium utile nobis esse non potest, nisi id nobis duplici Baptismi genere, & modo prorsus diverso, applicetur. In Baptismo aquæ applicatur id nobis impensis Ecclesiæ, ita ut nullo nobis pretio constet. In Baptismo verò pœnitentiæ, absque magnis nostris sumptibus id applicari nobis haud potest. Et idcirco SS. Patres & Ecclesia eum appellant Baptismum laboriosum. An verò Baptismus iste laboriosus est plerisque Christianorum, qui medium pœnitentiæ agendæ adeò commodum, & tam exigui sumptûs invenêre? Verùm heu! lavabitne eos Baptismus adeò commodus? Delebitne eorum scelera?

III. Modicum aquæ, quod in priore Baptismo capiti nostro affunditur, omnia nostra peccata delet, pro omnibus offensis satisfacit. Ad secundum verò Baptismum,

C 5

quod

Januarius,

quod attinet, necesse est, ut ipsimet è nostris lacrymis nobis faciamus balneum, quo omnes sordes nostras abluamus. Arque hoc est sanguis cordis, ut SS. Patres loquuntur, qui necessarius est ad applicandum nobis pretium illius sanguinis, quem Christus pro nobis fudit. Cruciatu Christi efficaciter nobis applicari non possunt, nisi per nostros; Cruciatu nostri proportionem nunquam habebunt, nec cum tormentis Christi, nec cum nostris offensis, sed necessarium est, ut talem cum viribus nostris habeant. Ita, ut, cum totum, quod Justitiæ divinæ debemus, non reddimus, saltem eidem reddamus; quod possumus. Et hoc est, quod S. Paulus vocat. *Adim-*

Coloss. 1. v.
24.

plere, quod deest Passionibus Christi. Ah! Nonne nostrâ ignaviâ ingens vacuum ejus Passionis & Cruciatibus relinquitur?

Statuamus DEO satisfacere, ne ipsemet sibi faciat satis. Evitemus, justitiæ ipsius rigores, penitentibus nostris eos prævertendo.

Adimpleo ea, quæ desunt Passionibus Christi in carne mea. Col, 1. v, 24.

Pœnitentia Baptismus laboriosus. Tri-

dent.

DIES

Januarius.

DIES XV.

De Confessione.

I.

UBinam misericordia, & indulgentia DEI clarius se prodit, quam in poenitentiae Sacramento? satis hic est, ad veniam obtinendam, corde contrito, & humiliato peccata sua confiteri. Innocentes evadimus, ut primum culpae reos nos agnoscimus; & à DEO absolvi meremur, ubi nos ipsos condemnamus. Quisnam de Crimine laesae Majestatis reus gratiam repudiaret, si ad eam impetrandam, crimen suum fateri sufficeret? accideretne cui piam difficile, morbum suum aperire medico, si nil aliud requireretur, quam eundem ei detegere, ut ei remedium afferretur? cur igitur nobis difficile accidit, animae nostrae vulnera Confessario explicare; eum tamen certo sciamus, nos, si ea, ut oportet, ipsi aperiamus, promptam, perfectamque medelam inventuros? perire sanè meremur, si remedium adeò tutum juxta, ac facile negligimus,

II. Is, qui sacerdoti peccata sua retegere erubescit. ordinem pervertit. Verecun-

cun-

Januarius. eundia præcedere peccatum debet; eo verò perpetrato, humilis, sinceræque ejusdem Confessio gloriam parit. At nos in peccato committendo audaces, & impudentes sumus: timidi verò, & verecundi, cùm id conscientiæ nostræ arbitro aperiendum, si difficile nobis accidit peccata: nostra confiteri, vincamus hanc difficultatem & verecundiam ad expiandam levitatem, & audaciam, quâ vinci nos passi sumus ad ea perpetranda: hæc enim, ubi victa est, remedium erit peccati, pœnitentiæ nostræ pars, & supplémentum directionis, quæ confessarius imbecillitati nostræ se accommodare obstrictus est. Superbia tua radix est verecundiæ tuæ, & forsitan etiam peccati. Potésne meliori modo vel reparare peccatum, vel eidem remediũ afferre, quàm salutari demissæ sinceræque Confessionis Confessione? hoc est malum in radice sua invadere. Hæc est pœna peccati præteriti, & antidotum futuri.

III. Quam ob rem erubescis peccata tua detegere sacerdoti, qui erga te Christi partes obit? qui sæpenumero te non novit, qui ad inviolabile secretum obligatur, qui ea non excipit, nisi, ut ab ijs te absolvat & neutiquam propterea minoris te facit; sed potius eò majore amore, admiratione
&

& commiseratione tangitur hominis, quem Januarius videt maximis gratijs esse præventum, vehementi dolore tactum, & in quo manifestos effectus virtutis sanguinis Iesu Christi, & vim gratiæ agnoscit? Præterea, vel homo iste peccator est, vel sanctus: si peccator est, sicut tu, experientia propriarum fragilitatum eum compellit, ut tuas miseretur. Si vir sanctus est, spiritum Christi habet. Et spiritus Christi an non spiritus est misericordiæ & commiserationis erga peccatores? An is unquam aliquem eorum à se repulit? Denique necessarium est, ut peccata tua vel clam aperiatis sacerdoti, ut hac ratione veniam eorum impetres; vel, ut ea in conspectu totius Universi olim publicentur; indèque sententia damnationis æternæ contra te feratur. Utrum ex hisce duobus præferendum tibi videretur?

Si non peccares, necessarium non foret confiteri.

At quia peccare non cessas, nec confiteri cessa. Ac proin statne, peccandi facilitatem & peccandi audaciam, quâ hætenus laborasti reparare invicto animi robore, quo verecundiam, quam deinceps in scelerum tuorum confessione experieris, generose subigas.

Dixi

Januarius. Dixi : confitebor adversum me inju-
stitiam meam Domino ; & tu remisisti im-
pietatem peccati mei. *Psal. 31. v. 5.*

Malè proni in vulnera, pejus ad reme-
dia verecundi. *Bern.*

DIES XVI.

De Relapsu in peccatum.

I.

FRrequentes tui relapsus pœnitentiam
tuam suspectam reddunt. Confessio-
num tuarum valorem magni facis ; & si
cadis, ais : saltem per pœnitentiam à pec-
cato resurgo. Verùm de Confessionum
tuarum bonitate dubitatur ; quòd, etiam-
si resurgas, mox recidis. Utrum verò
meliori nititur fundamento, dubium hoc,
an imaginaria tua securitas ? Voluntas li-
cèt mutabilis sit, non illico ab uno ad al-
terum extremum transit, à summo pecca-
ti odio, quod in vera pœnitentia inveniri
debet, ad summum peccati amorem, qua-
lis in peccato lethifero, quod Creaturam
Deo præhabet, semper invenitur. Ani-
mus à magno odio tam subitò non desistit ;
nunquam feriò ab inimico abalienatur ;
cum quo tam citò & facilè redimus in gra-
tiam

tiam. Credendum non est, hominem Januarius, plenè fuisse sanatum, qui repentè in priorem morbum relabitur.

II. Frequentes tui relapsus pœnitentiam tuam suspectam reddunt, quia de voluntatis tuæ sinceritate dubitandi ansam præbent. ànne credibile est, voluntatem esse sinceram, efficacem, cùm ea nunquam ferè effectum suum habet, etsi is in potestate nostra sit. De voluntate humana idem, quod de Divina in hoc rerum concursu dici potest: velle nimirum, idem esse, ac facere: éstque ridiculum tunc dicere: Equidem volui; sed non feci: nam si voluisses, cùm res tota penes te fuerit, fecisses: quia verò non fecisti, argumento est, te non voluisse. An non penes te est, Divina adjuvante gratia, quæ tibi nunquam deest, in hoc peccatum non relabi? Id DEO centies promisisti: in tua erat potestate, promissis stare. Ad hoc toties habuisti gratiam, quoties eâ uti noluisti, quis credat, te bona fide cum eo egisse, & promissis ei factis sincerè stare voluisse, quibus nunquam steteristi?

III. Frequentes tui in peccatum relapsus pœnitentiam tuam suspectam reddunt, quia causam præbent dnbitandi, an gratiam.

Januarius.

tiam Sacramento propriam acceperis. Certissimus pœnitentiæ effectus, si ea vera, est, gratiam Sacramenti conferre. Hæc verò virtute pariter certissimâ heroicâ nos armat fortitudine contra aut peccati illicita, aut tentationes eò instigantes, cautos præterea reddit ad evitandas peccandi occasiones: ubi verò hoc peccato resistendi robur non adest, sed deploranda eidem consensuendi levitas, si loco præcautionis occasiones evitandi adest propensio eisdem se denuò exponendi; an non meritò judicamus, causam (veram videlicet pœnitentiam) deficere, ubi effectus deest ei necessario connexus? an non dicere meritò possumus, ignem non adesse, ubi calor non sentitur? an non meritò credimus, gratiam Sacramenti non adesse, ubi nulla cernitur morum emendatio?

Utere tribus hisce regulis ad judicandum de pœnitentiarum tuarum bonitate; & si hæ rationem tibi præbent hac de re dubitandi, statue necessarijs uti remedijs ad emendandos hosce defectus, quos in illis deprehendes.

Displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. *Eccl. 5.*

Ridiculum est dicere: volui, & non feci, *Bern.*

DIES

Januarius

DIES XVII.

De superbia.

I.

Superbia, inquit S. Augustinus, est tumor quidam cordis, quo homo inflatur, & ut ita dicam, seipsum extendit. Id, quod inflatum est, inquit, magnum viderur; sed reapse magnum non est; vel si magnum est; magnitudo falsa est, quæ à morbo, & non à sanitate oritur. Non est vitium, quod minus in homine fundamentum habeat, nec ullum, quod tam validas in eo agat radices. Plus non requiritur quam ut in nos metipfos descendamus, deprehensuri, ob quod nos deprimamus. Et nihilominus inter tot nos humiliandi causas nos efferre non cessamus. Nemo superbiæ immunis est; sed pauci sunt, qui superbos esse se agnoscant; & nullus ferè, qui hoc fateatur. Sæpenumero alios nostros defectus sincerè fatemur; quin & subinde gloriamur; superbiam verò suam faterur nemo. Imò hanc nobis ipsis celamus; quod signum est evidens, vile quiddam, & probrosum in hoc vitio inveniri; cuius tamen finis est, se ipsum attollere. Superbus ferè semper justitiæ, & rectæ rationi

Est superbia, non magnitudo, sed tumor; quod autem tumet, videtur magnum, sed non est sanum. Aug.

D

adver-

Ianuarius. adversatur. Quid vilius? Imò sapientissimi quique hominem vanum & arrogantem, reputant, & tractant ut Stultum. Felix esset, si DEUS ipsum eodem meriretur pede: Næ tam severè ipsum non puniret.

*Initium om-
nis peccati
est superbia.
Ecclis 10. v.
15.*

II. Superbia, inquit Spiritus sanctus, omnium peccatorum est origo. Omne peccatum superbiæ est effectus; idcirco, quod sit defectus summisionis DEO præstantiæ. Tolle è mundo superbiam; & pleraque scelera ex eo sustulisti. Superbia non videtur maximum esse peccatum, sed funestissimum est in suis effectibus. è superbia prodeunt ambitio, arrogantia, hypocrisis, obstinatio, proprii iudicii tenacitas, adeò quidem, ut sensum proprium sensui præferamus Ecclesiæ. Inde oriuntur illi terribiles iracundiæ motus, temeritates illæ adeò venenatæ, vindictæ adeò crudeles, æmulationes illæ adeò malignæ, animi sensus adeò delicati in puncto honoris, quæ lamentabiles effectus pariunt. Ex hac oriuntur murmura, rebelliones, blasphemias in DEUM. Ex hac oritur desiderium supra merita se evehendi vijs illicitis. Ex hac illa obstinatio perveniendi ad imaginarios, seu injustos dignitatum gradus medijs adhuc injustioribus. Ex hac Luxus, qui fovetur impensis opificum, & merca-

mercatorum, qui fortunis suis evertuntur. Ex hac oritur in fæminis illa cupiditas, qua placere, præque alijs æstimari, & velut Idola adorari desiderant, quæ cupiditas ipsas, dum se supra alias extollere contendunt, hominum æstimationem aucupando, extremè deprimunt, & contemptui exponunt. Dum eas inducit in oblivionem modestiæ, & pudoris, in queis gloria hujus sexûs unicè consistit. Heu! Quid mihi agendum, ad exsiccandum fontem adeò copiosum juxta, ac venenarum?

III. Superbia, inquit Spiritus sanctus, vitium est oculis divinis abominandum. Si tam abominatur Deus, tum etiam punit, & damnat! & sicut ea est origo omnium scelerum, sic & causa est omnium pænarum. Superbia ad inferorum barathrum præcipitavit innumeram Angelorum multitudinem. Hæc Adamum è Paradiso terrestri ejecit, eoque ipsius posteros exclusit, dum eos peccati & infelicitatis ipsius hæredes effecit. Deus superbum punit, & persequitur, gratijs suis eum privat, ejus se consilijs opponit; quia etiam ipse Dei consilijs adversatur, desiderijs suis prorsus immoderatis eum relinquit, & cupiditatibus turpissimis, ut eum deprimat, & hac ratione ipsius medeatur superbiæ. Quan-

*Abominatio
Domini est
omnis arro-
gantia.
Prov, 16*

Januarius.

rum illud malum esse oportet, pro quo Medicus charitate plenissimus tam crudele præscribit remedium. Ah! Domine, immunem me redde tam molesto remedio. Tu solus medicinam superbiæ meæ afferre potes. Quantumvis violenta sint remedia: modò à te me non separent; lubentissimè ijs me submitto; imò dulcia mihi erunt, si tanto me malo reddant immunem.

Candidè ac sincerè agnoscas superbiæ, quâ laboras, radicem. Inquire, quinam effectus sint periculosiores, & statue adhibere media efficacissima, ad cursum ejus inhibendum.

Odibilis coram DEO & hominibus superbia. *Eccli. Io. v. 7.*

Erubescat homo, esse superbus, propter quem humilis factus est DEUS. *Aug.*

DIES XVIII.

De Ira.

I.

Matth. 5. v. 22. OMNIS, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio DEI, & hominum. Ratio, & fides

hanc animi motionem æqualiter damnant. Rationis compotes & Christiani esse cessamus, ut primùm iræ impetu esserimur.

1. Cessamus esse rationis compotes: Aliæ

ui-

quidē animi affectiones rationem turbant, & debilitant, sed ista, ubi paulò violentior est, ejus usum penitus aufert. Ira, quæ mox evanescit, brevis stultitia est: Sed ira inveterata stultitia constans. *Ira, inquit Spiritus sanctus, insinu stulti requiescit, velut in centro suo.* Sapientissimi quique tales esse cessant, ubi iræ motibus abripi se patiuntur. Homo domi suæ irâ excandescens bestiae feroci, quàm homini similior est. Est, inquit sapiens, *ergastulo elapsus leo,* qui omnia terrore, & confusione replet, omnes terrefacit & in fugam vertit. Est mare furiosum, quod nullo aggere coerceri potest: nec alios limites habet, præter limites potestatis, & commotionis suæ. Quot sunt motus, verba, & actiones, tot etiam peccata admittit.

II. Nihil melius prodit, quàm rationi dissona sit hæc animi motio, quàm, quòd homo irâ succensus ritè se agere sibi semper persuadeat. Ira semper justa esse videtur ei, qui eâ se abripi sinit; cum tamen nullus animi motus iniquior sit. Injusta est in suo principio; cum sæpe res nihili, vox unica, unica imaginatio hominem extra se rapiat. Injusta est in sua agendi ratione. *anne malum bene sanatur majori malo? anne defectus levis, & sæpe imaginarius*

D 3

bene

Nemini irascenti videtur ira sua injusta. Aug.

Januarius.

bene corrigitur per defectum verissimum, & gravissimum? estne malum illud, quod vindicare volumus, par illi, quod nobis ipsis infligimus, dum illud ulcisci nitimur? Amittimus enim rationis usum, pacem, charitatem, & gratiam. ane is, quem inimicum tuum reputas, tantum tibi malum inferre unquam potest? Quam injusta ira est in suis effectibus? quæ peccata non procreat? quantam non parit confusionem, dum nullam servat proportionis normam, pœnam inter, & delictum, quod punire intendit, si tamen delictum fuit. Amaniratus omnes Judæos funditus extirpare conatur, quod Mardochæus officio eum venerandi defuerit. Saul omnes Sacerdotes interfici jubet, quod unus eorum aliquid panis Davidi porrexerit? quæ proportio?

III. Ira severius adhuc in judicio Dei, quam hominum damnatur: *reus erit judicio.* Injuria ex iræ motu prolata, ipsius Christi judicio non nisi igne æterno puniri satis potest: *REUS erit gehennæ ignis.* Quam grave erit peccatum, cui Deus adeò bonus, Deus Servator tam horrendam imponit pœnam? Ipsa ejus benignitas & Zelus, quo in mansuetudinem fertur, eum adigit, ut tam severè in iram animadvertat. *Homino Servatoris sui mansuetudinem non exspectet,*

Matth. 5.
v. 22.

spectet, nisi ea erga fratrem quoque suum
utatur. Qua ratione, inquit sapiens, aver- *Eccli. 28. v.*
sionem, & odium fovere erga proximum *3. Eccl.*
tuum potes, cum iram DEI placare conaris?
Hoc sanè non est medium, DEUM sibi red-
dendi propitium; qui veniam ab eo petere
& sperare audes, dum eam fratri tuo
negas?

*Statue fortiter te impendere superandæ huic
animi commotioni, quæ tam molestos habet esse-
ctus, si sentias eam tibi dominari: permissum tibi
non est irasci, nisi tibi met ipsi, & peccato.*

Homo homini reservat iram, & à DEO
quærit medelam. *Eccli 28. 3.*

Ira fieri hominis est; & iram non perficere
Christiani. *Hieron.*

DIES XIX.

De Invidia.

I.

INvidia est dolor de prosperitate alterius;
superbiæ effectus, & charitatis ruina.
Quanta stultitia, ex alterius felicitate sibi
met ipsi infelicitatem machinari? hoc est
bonum in malum, & optimos cibos in ve-
nenum convertere. Dum de aliorum
bonis, & virtutibus gaudeo, earundem

Januarius. particeps fio, Arque ex illis, dum ipsi laborant, præter gaudium etiam meritum, & non rarò majus, quàm ipsi, sine ullo labore obtineo, idcirco, quòd hujus gaudij unica origo sit charitas. Beatus cæli incolæ certo modo non tantùm sua, sed & reliquorum omnium beatitate felix est; quòd eorum ut suam & reputet, & læteretur. Hoc ipsum mihi licet, si volo. Miser profectò esse mereor, si tantam felicitatem sumptu tam modico comparare mihi recuso. Ex adverso, dum ob bona aliorum me affligo, infelix fio ex illis ipsis rebus, quæ illos felices reddunt. Funestum sanè, at justum invidiæ supplicium.

II. Alia vitia non nisi virtutem sibi oppositam impugnant. Invidia omnes penitus aggreditur. Invidus in Spiritum sanctum peccat: Vellet enim inhibere fluxum gratiarum, quas Spiritus iste divinus in alios diffundit: sed ipse solus eis se privat. Graviter fert, quòd Deus bonus sit, quòdque toti mundo benefaciat; at non impedit, quòd minùs Deus sit bonus, præterquam ipsi. Voluptas, quæ in alijs peccatis invenitur, aliquam admittere excusationem videtur quâ eorum perversitas minuat. Sed invidus nec voluptate, nec utilitate fruitur. Artem invenit solas merendi spinas,

nas, ubi alij non nisi flores colligunt. **To-** Januarius.
tus fructus, quem é sua percipit invidia,
amarities est & molestia, digni tali arbore
fructus. Omnia in venenum vertit, se,
ut ita dicam, non nisi felle pascit. Bonum
aliorum eum infelicem reddit ob dolorem,
quem ex illo concipit ; & eorum malum
eum sceleratum facit, ob malignum gau-
dium, quod inde percipit. Invidus sui ipsius
tortor est, ipsumet ejus peccatum ei in pæ-
nam vertitur, nec impunitum esse potest.
Et licet DEUS ipsi parceret, ipsemet se punit
satis.

III. Peccatum, & lapsus rebellium An-
gelorum partus erat invidiæ. Hi ferre non
potuere, quod DEUS homo factus, huma-
nam naturam honore, quo se digniores cre-
debant, afficeret, atque, uti invidia eos olim
ad scelus impulit, ita etiamnum hodie acer-
bissimum eisdem supplicium parit. Sine ex-
trema sua invidia videre non possunt, sedes
suas occupari ab hominibus, quos ipsi tan-
topere aspernabantur; & propter ea non mi-
nus felicitate Sanctorum, quam proprijs
supplicijs cruciantur. Post Ejectionem Adæ
è Paradiso terrestri invidia omnium prima
hominem ad scelus pellexit, dum Cainum
homicidam reddidit, eumque primum ex
hominibus æternis supplicijs addixit. Saul

*Plus tor-
quentur cæ-
lo, quàm in-
ferno Cry-
sof.*

D 5

Rex

Januarius.

Rex tanta virtute, & felicitate conspicuus, DEO, & hominibus tam charus, ut primum invidiæ dedit locum, sceleratus, & infelix evadit, & ubi furiosi instar vixit, denique ut desperatus obit. Invidia Phariseorum in Christum, eum persecuta est in vita, eundem ad mortem condemnavit, nec extingui omni ejus sanguine potuit. Imò sanguis iste, qui cunctis alijs salutem attulit, miseris ipsis sempiternas pœnas accersijt. Invidus se ipsum è Christianorum societate excludit, quia se non jungit felici bonorum commercio, quod charitas inter fideles omnes instituit, unde etiam meritis Sanctorum se privat. Quam horrenda pœna!

Examina te ipsum, ut cognoscas, an tædia tibi usitata non sint effectus invidiæ tuæ. Stude acquirendæ humilitati & charitati, quæ huic vitio adversantur.

Væ illis, quia in ira Cain abiêrunt. *Iud. Epist. v. 11.*

Justius invidiâ nihil est, quæ ipsum auctorem rodit, discruciatque. *Hieron.*



DIES

Januarius.

DIES. XX.

De Vindictæ desiderio, & iniuriarum oblivione.

I.

Nihil animis hominum magis insitum, atque innatum est, quam se vindicare velle, ubi fuere offensi; hancque ob causam nihil est, difficilius, quam injuriam condonare, inimicum amare: etsi his nihil magis necessarium sit. Præter solum DEUM nemo est, qui hoc præceptum injungere nobis queat, nec ullus est, nisi verus Christianus, qui id observare velit. Christus, ut DEUS loquitur, cum tibi ait: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos.* Et nos luculento argumento ei demonstramus, eum à nobis ut DEUM agnosci, si in re tam difficili pareamus. *Ego autem dico vobis.* Quasi diceret: scio, mundum, consuetudinem, vestra præjudicia, animorum vestrorum motiones, rationem vestram vobis suggerere, id non faciendum, at ego vobis contrarium dico: Cuinam credere, quinam obedire vos oportet?

Matt. 5.
v. 44.

II. Ego

Januarius.

II. Ego sum, qui hoc vobis præcipio, inquit Christus. Vox Ego graves in se rationes comprehendit, potentia nobis incitamenta suppeditat. Ego sum DEUS vester, qui omnia vobis mandare possum, & cui vos in omnibus morem gerere debetis. Ego sum, qui vindictam mihi reservavi, quam vobis arrogare non potestis, nisi jus meum usurpare velitis. Ego injurias vobis illatas ulciscar, nisi vos eas ulci fueritis. Ego, qui misericordiam vobis non exhibebo, nisi eam fratribus vestris exhibeatis. Ego, qui tam graves offensas vobis remisi; & à vobis non exigo, nisi, ut illis adeò leves remittatis. ànne vobis, queis, cum decem millia talentorum deberetis ea condonavi, difficile accidat, centum denariolos fratri vestro condonare, dum ego id à vobis exigo? Ego, qui illo ipso tempore, cum præcepto meo vos ad condonandum obstringo, proprio etiam exemplo ad hoc præstandum animo, & gratia mea adjuvo. Ego, qui felicitatem æternam vobis promitto, si ignoscatis; qui infelicitatem æternam vobis minitor, si id non faciatis. ànne cor adeò durum invenire est, quod omnibus hisce rationibus non moveatur? ànne fieri potest, ut id, quantumvis frigidum

dum sit, tot ignitis carbonibus non in- Januarius.
flammeretur?

III. Nihil magis DEI, veluti primæ
veritatis, autoritatem in hominis intel-
lectum demonstrat, quàm, dum eum per
fidem eò adigit, ut adversus omnia sua
præjudicia sententiam ferat, & veritates,
quæ ipsi incomprehensibiles videntur,
credat. Nihil adè imperium DEI, ve-
luti primæ legis manifestat, quàm dum
eum compellit, ut genio suo adversetur,
id quod amabile non est, imò etiam odio
videretur dignum, videlicet inimicum suum,
amet. DEUS hoc dixit: idcirco credendum,
etsi sensus & ratio sua contrarium asserant.
DEUS id præcipit, itaque faciendum, li-
cèt cor suum, & omnes animi tui affectus
ei se opponant. Captivitas, ut ita di-
cam, rationis cultus est perfectissimus,
sacrificium acceptrissimum, quod homo
offerre DEO ut primæ veritati possit. In-
juriarum condonatio Cultus est perfectif-
simus, & sacrificium gratissimum, quod
homo DEO ut primæ legi immolare possit:
qui omnia alia sacrificia, si hoc defuerit,
aversatur, & reijcit, *Vade priùs reconci-
liari fratri tuo.* Fuge, inquit, Altare
meum, abrumpe sacrificium, nec accede
priùs, quàm cum inimico tuo redieris in
gra-

*Carbones, ig-
nis congeres
super caput
ejus Rom.
12. v, 29.*

Januarius. gratiam. Si hoc sacrificium magno tibi constet, cogita, te Deo id facere, & quidem tali Deo, qui se pro te immolavit. Et quanto id ei non stetit?

Si repugnantiam senseris, injuriam aliquam condonandi opponente se animi tui commotione, vel ipsa etiam ratione, ejus DEI auctoritatem oppone. Qui pro divina sua potestate id jubet, & ego non obediam? non faciam pro DEO, quod pro Rege aliquo facerem, qui, sicut ego, homo est?

Ne dicas reddam malum; expecta Dominum, & liberabit te. *Prov. 20. v. 22.*

Vicem injuriæ reddere, humana ultio est; inimicos etiam diligere, vindicta Cælestis est. *Paulin.*

DIES XXI.

De Respectu hominum.

I.

A Magnatibus stare honori nobis ducimus; sed à Deo stare non honori, sed dedecori potius nobis vertimus. anne igitur vile quid & probrosum invenitur in persona Hominis DEI? anne aliquid in eo invenitur, propter quod nos pudeat ei addictos esse? mundi sectatores non erubescunt palam profiteri, se mundo affici, & quidem mundo reprobo à Deo;

&

& Christiani palam testari erubescant, se *Januarius*,
Christo adhærere? mundi amatorem non
pudet, impudicum, vindictæ cupidum,
impium esse; & nos pudeat esse pietati
addictos? quid? liberioris vitæ ho-
mines quotidie à turpissimis actionibus i-
nanis gloriæ ansam arripiunt; & Christia-
ni actiones non gloriosas minùs, quàm
sanctas pudoris argumenta sibi credant fo-
re. Heu! quoties gloriatus es, te in lo-
cis vel infamibus, vel suspectis fuisse. &
difficile tibi accidat, in æde sacro recessui,
destinata, vel ad pedes altarium, vel ad
pœnitentiæ tribunal prostratum te videri?
hæc non est animi demissio, sed respectus
hominum, & ignavia.

II. Respectus hominum nunquam co-
hibere te potuit, cum de satiandis tuis
cupiditatibus ageretur; quæ igitur fit, ut
is tanta in te vi polleat, ubi de munere
tuo ritè obeundo agitur. Hominum ju-
dicia, & sermones facillimè contemnere
potuisti. in certis occasionibus, in qui-
bus ad sectandas tuas oblectationes, salu-
tem & honorem tuum in discrimen conje-
cisti: & id non facies, ubi agitur de obri-
nenda animæ tuæ salute & gloria æterna
promerenda? si bene agis, inquit, si mo-
res tuos corrigis, si virtutem magno am-
ple-

Januarius. plecteris animo, mundi eris fabula
at hæc dicta contemne. Nam, quid de-
nique mundus est? Cæcus est, insanus
est, juratus Christi hostis est. Et quid?
an discipulus Christi jurati sui inimici am-
plecti leges debet? Visne cæcum, & in-
sanum tibi viæ ducem eligere? tu, qui tam
sapiens & perspicax haberi desideras? Si
cæcus cæco ducatum præstat, inquit servator,
quò devenient, nisi ad præcipitium? quo-
ties eò te mundus duxit?

III. Si hoc opus bonum facio, si vitæ
rationem modestiorem, magisque emen-
datam auspico, si paulò magis homini-
bus me subduco, mundus mihi illudet,
meaque improbabit: si verò hoc non fa-
cio, improbabit DEUS, & forsan me
reprobabit, utrum magis optandum, pro-
bari à DEO, an verò hominibus? utrum
plustimendum, reprobari à DEO, an ab
hominibus? si hominibus non probor,
plus non requiritur, quàm eorum judicia
contemnere. Et tum plus mali afferre
mihi non possunt. At si DEO non probor,
si ab ipso condemnor; actum est de me.
Et quis est hujus reprobationis terminus,
nisi infelicitas æterna? Et nihilominus
metuo, ne hominibus displiceam; & non
metuo, ne à DEO reprober. Quæ cæci-
tas!

tas! quæ stulticia? aquæ guttam formi- Januarius
do, &, ut ei me subtraham, in forna-
cem ardentem me conjicio.

*Statue contemnere iudicium hominum, quod
tibi nec bonum nec malum creare potest; sed ti-
me iudicium DEI, cujus erit de æterna tua feli-
citate vel infelicitate decidere.*

Qui me serubuerit, & meos sermones:
hunc filius hominis erubescet, cum vene-
rit in Majestate sua. *Luc. 9. v. 26.*

Times prorsus, ne offendas majorem;
& non times, ne offendas DEUM. *Aug.*

DIES XXII.

De Tepore in cultu Divino.

I.

UTinam frigidus esses, aut calidus, inquit
DEUS Episcopo Laadiceæ; sed quia tepidus *Apoc. 3. 15.*
es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te
evomere ex ore meo. Status teporis valdè
miser sit necesse est, quòd videatur opta-
bilem reddere statum illum maligno fri-
gore infamem. Magis opratur, vel cer-
te minùs timetur hostis apertus, quàm
amicus vel infidus, vel suspectus. Et iste
est character hominis tepidi erga DEUM.
Hæc dispositio tantò funestior est, quia

E facit

Januarius. facit, ut homo sit, ut ita loquar, oneri cordi IESU, quod non allevatur, nisi eum evomendo. Eheu! si è corde IESU ejecti, exclusique sumus, quò fugiemus? Nullus amplius nobis locus præter infernum superest. Equidem è Cælesti Paradiso, quàm è corde IESU expelli mallet. Hoc enim corde si excludimur, amoris ejus partem amplius non habemus; si partem amoris ejus non habemus, quoniam sumus, nisi reprobari?

II. *Maledictus*, inquit spiritus sanctus, *qui facit opus DEI negligenter.* à DEO maledictum esse, quàm horrenda pœna? quàm horrendum igitur sit oportet, quod illam meretur? Ea proficiscitur à DEO justo: & sic gravior non est, quàm ipsum peccatum: imò prodit à DEO misericorde; igitur minor esse debet malò, quod per eam punitur: ac proin grande malum sit necesse est, opus DEI facere negligenter. Et sanè gravius subinde malum est actionem bonam languidè facere, quàm de se malam facere. Non rarò is, qui malum facit, subobscurè tantum cognoscit Deum, quem offendit, nec de eo cogitat, eaque de re minùs reus est: vel penitus non cognoscit malum, quod facit, & tunc fieri potest, ut illius reus
non

non sit. Is verò, qui facit opus DEI, Januarius.
 cognoscit DEUM, & plerumque de eo
 cogitat, eumque despiciatui habet; hoc est,
 irreverentiam DEO exhibet ea ipsa actio-
 ne, quæ ad DEUM honorandum institu-
 ta est. Videtur sua agendi ratione dicere,
 Dominum, cui servit, vel mercedem,
 quæ sibi promittitur, haud mereri, ut tan-
 tum in se laboris suscipiat. Aliquoties mi-
 nus DEUM offendimus, minusque ei dis-
 plicemus, cum ei non servimus, quàm,
 cum ei ignaviter servimus.

III. Homo, quia gravia scelera non com-
 mittit, peccatorem se esse non credit, & id-
 circo arbitratur, se ad pœnitentiam agen-
 dam non obligari. Interea Christus ipse
 significat Episcopo Ephesino, etiam, cum
 eum pluribus laudat, ipsum, postquam à
 primo fervore non nihil remisit, pœniten-
 tiâ indigere: *Age pœnitentiam*; ei que mi-
 natur, nisi eam ipsemet egerit, se eandem
 ei impositurum, immittendo ei pœnas,
 & afflictiones, quibus ad sanandum ejus
 teporem usus sit. An non ista Com-
 minatio etiam te contingit? An non ea tibi
 inspirare timorem, teque ad pœniten-
 tiam animare debet? Illi, qui tepidi sunt,
 non credunt, se gravium delictorum esse
 reos; quia libentius cogitant de malo, quod

Apoç. 2. 5.

Januarius.

omittunt, & de modico bono, quod agunt, quàm de malo, quod agunt, & de bono, quod negligunt, etsi id agere deberent; cùm se potiùs comparent illis, qui infra ipsos, seu magis dissoluti, & ignavi sunt, quàm illis, qui eis meliores, aut probiores, ferventiorésque sunt. Hi non minùs, quàm Pharisæus ille sibi blandiuntur, quòd tã mali non sint, ac multi alij, sibi que in virtute sua imaginaria placent; coram tribunali ipsius DEI causa Confusionis, & materia doloris eis futura est. An non hactenus hunc in modum tibi imposuisti? An non vana tua securitas, in tam ignava vivendi ratione hoc indicat?

Imaginare tibi, Dominum nostrum id ipsum tibi exprobrare, quod Episcopo Ephesi, de tua sollicitudine, teque hortari æquè ac ipsum ad penitentiam agendam. Statue inde non minùs, quàm ipse proficere.

Maledictus, qui facit opus DEI negligenter. *Ierem. 48. 10.*

Abijciamus perniciosam tepiditatem, quia DEO vomitum provocare solet. *Bern.*

DIES

DIES XXIII.

De imitatione Iesu Christi.

I.

CHRISTUS hoc dixit; itaque credendum est: Christus hoc fecit, itaque faciendum est. Ipse est Magister noster; eum igitur audire oportet. Ipse est dux noster; itaque eum sequi oportet. Ipse est Magister noster, & ipsa veritas; itaque ipsi auscultando decipi non possumus; est dux & ipsa via: itaque eum sequendo errare non possumus. anne ipsius axiomata nostrorum animi sensuum normam statuimus? anne ipsius exempla, vitæ nostræ regulam nobis proponimus? an non axiomata mundi hactenus regula fuere opinionum nostrarum? an non exempla mundi hactenus fuere regula vitæ nostræ? an hoc incicias ire possumus, quin nos decipiamus? an hoc agnoscere possumus, quin confundamur?

II. De mundo longè aliter ratiocinari convenit! mundus hoc dicit: itaque non credendum. Mundus hoc facit; itaque hoc non faciendum. Mundus Mendax est; si ei credimus, in errorem labemur.

E 3

Mun

Januarius, Mundus cæcus est; si eum sequimur, à recto tramite deflectemus. Is, inquam cæcus est; magis igitur cæcutire necesse illum, qui ejus se directioni committit. *Cæcus si cæco ducatum præstat, nonne ambo in foveam cadent?* DEUS bone! an non sæpe numero cecidi, dum malum hunc ducem secutus sum? at saltem è lapsu iterum surrexi? & quâ ratione, Domine, surgere possum sine auxilio manus tuæ adedò potentis, ac benignæ? & quis in viam rectam reducere, & in ea dirigere me potest, nisi tu Dux adedò peritus, & falli nescius?

Matt. 15.
v. 14.

III. Totus Mundus hoc facit, inquit; itaque hoc fieri oportet. Ah misera ratiocinatio! ah! mala Conclusio! hunc in modum loqui, non est loqui, ut Christianum, imò nec, ut sapientem Ethnicum decet. Quidam eorum dixit, Argumentum ferè certum esse, rem aliquam nullius esse pretij, ubi plerique eam faciunt: *Argumentum pessimi multitudo.* pars sapientium nec maxima, nec copiosissima est. Spiritus sanctus nos docet, *stultorum infinitum esse numerum.* Cur ergo eos sequamur? Christus IESUS neutiquam dixit, quod ipse sit Consuetudo; sed quod sit veritas: quantacunque autoritate nitatur consuetudo

tudo, præscribere contra veritatem nequit. Illa ergo relicta, huic adhæreamus; si tamen aberandi non est animus. Interea et si eâ incedens aberrare possis; certò tamen eâ non incedens errabis. Lata via, cum de salute agitur æterna, via vera non est via, lata est illa, quam plerique hominũ terunt, quæque nos in errorem & perditionem abducit. Christus est via; sed via angusta: Pauci sunt, qui eâ incedunt: Propterea, sicut aberrare non possumus, si eam sequimur, sic certissimè aberramus, si ab ea defle-ctimus. Potésne dicere, te eam sequi, tu, qui à mundi torrente abripi te sinis?

Pete à Domino nostro, ut gratiã suã opem tibi ferat eã viã ambulandi, quam tibi exemplis suis stravit, & ei cum sponsa sua dicito: Trahe me Domine, & non tantùm ambulabo, sed & curram post te,


Ego sum lux mundi, qui me sequitur, non ambulabit in tenebris. *Jo. 8. v. 12.*

Noli per aliam viam velle ire, quàm per illam, qua ipse ivit Christus: dura videtur, sed ipsa est via rura. *Aug. in Psal.*



E 4 DIES.

Januarius.



DIES XXIV.

De commodis Humilitatis.

I.

DEUS est omnia, & ego non sum, nisi pu-
rum nihil. DEUS possidet omnia, &
ego nihil habeo præter paupertatem, &
miseriam. DEUS potest omnia, & ego pos-
sum nihil, nisi peccare, meque perdere.
Ego nihil sum de me ipso; verum est; sed
per humilitatē me deprimendo, elevo me ad
DEUM, unio me DEO, & inde magnus
evado & omnia. Nihil possideo ex me
ipso, fateor: Sed per humilitatem unio me
DEO, ipseque se mihi impertit, & omnium
bonorum me participem reddit; & sic di-
tesco, omniaque possideo. Ego nihil pos-
sum à me ipso: Non inficias eo; sed humi-
litas, quā me ad DEUM elevo, divinæ Po-
tentia participem me facit, ut potens eva-
dam, & omnia possim; *Omnia possum in eo,
qui me confortat.* O nihilum gloriosum;
O dives paupertas! O felix impotentia!
Quam in me profert humilitas, quæ cun-
ctas necessitates meas supplet, & omnes
mihi gratias accersit.

Phil. 4. v. 13.

II. Cum

II. Cum humilitate vitia, & peccata *Januarius,*
 ipsa cessant esse pernicioſa, imò & utilia
 fiunt: At sine humilitate virtutes, & bona
 opera evadunt periculosa, quin & perni-
 ciosa fieri possunt. Publicanus miser est, &
 magnus peccator; sed humilis est, ita ut
 oculos cælum versùs erigere, & ad altare
 accedere vereatur; atque ob id sanctus eva-
 dit, & ipsiusmet DEI elogium meretur.
 Phariseus virtutes suas jactat, cuncta bona
 opera in publicam lucem protrahit: Si
 priùs justus erat; ubi superbit, peccator eva-
 dit; dùmque sibi applaudit, à DEO cum
 bonis suis operibus reprobat. Quanta
 non est humilitatis potentia! è scelerato
 sanctum efficit. Quale non est venenum
 superbiæ! Ex justo magnum in momento
 efficit peccatorem. Humilitas ipsa vitia
 elaborare, & ex ijs virtutes proferre po-
 test. Contrà verò superbia virtutes ipsas
 convertit in vitia.

III. DEO magnopere obstricti sumus,
 quod salutem nostram ex humilitate nostra
 pendere voluerit, & non è nostra exalta-
 tione. Non omnes ascendere, seque eve-
 here possunt; sed nemo est, qui descendere
 & deprimere se non possit. Non omnes
 grandia pro DEO præstare, nec grande quid
 ad ejus gloriam audere possunt, verùm nul-

Ianuarius. Ius est, qui se deprimere non possit. Quàm multi inveniuntur, qui eminens quoddam orationis donum habere non possunt? At quis est, qui in oratione sese demittere, & hac ratione multùm præstare non possit, etsi in oratione nihil præstare videatur. Non semper possum omnia bona, quæ volo agere, sed proficuum mihi reddere possum impænitentiam meam, & ob eandem coram DEO submissè me gerendo, bonum illud, quod non ago, supplere. Non possum semper orare, semper jejunare, semper plorare; sed humiliare me semper possum. O humilitas! via brevis, facilis, secura tamen, modico sumptu ad magnam sanctitatem pertingendi. Qui igitur fit, ut via hac ambulare non velim?

Quandoquidem humilitas via brevis est, atuta ad sanctitatem perveniendi, statue eam ingredi, & pete à DEO, cum ipsemet in ea præcesserit, ut tibi gratias impertiatur, queis opus tibi est ad ipsum sequendum.

Excelsus in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu. *Isa. 57. v. 15.*

Justior apud DEUM ille accusator iniquitatis suæ, quàm iste justitiæ prædicator. Ille se laudando se accusavit; hic accusando defendit. *Paulin.*

DIES

DIES XXV.

De Patientia in adversis.

I.

Consideratio inferni ingens ad patientiam stimulus peccatori in maximis ejus malis esse debet. An conqueri de malo possumus, quantumvis magno, si cogitamus, nos infernum fuisse promeritos, malum videlicet æternum, malum quoddam infinitum? Quodvis malum leve videri debet homini, qui infernum est meritus. Subroga tibi damnatum aliquem, tu, qui in rebus adversis murmuras; is se felicem reputabit. Conditio tua Paradisus ei videbitur. Status iste infernus esse tibi videtur idcirco, quòd non satis comprehendas, quid infernus sit, vel, quòd non satis cogites, te eum promeritum esse. Conditio tua alia non est, quàm foret illa istius miseri: què ergo fieri dicam, ut opinionones vestræ tantopere inter se discrepent? Nisi quia non ut ille, ex pertus es inferni supplicia, vel quia non considerasti, licet ea toties fueris meritus. Nihil asperum videtur homini, qui inferni pænas meritus, easque meditarus est.

II. Con-

Januarius.

II. Consideratio montis Calvariae magnum patientiæ incitamentum esse debet Christiano. Afflictiones tuas afflictionibus Christi compara, tum queri te pudebit. Ille non conqueritur, dum cogitat, se pro te Crucuari: & tu conqueri audeas, si cogites, te cum ipso, & pro ipso pati? Ille patitur innocens, nec tamen queritur: Illius mala sunt grandia, sunt ferè innumera, sunt sine levamento, & non conqueritur: mala tua sunt levia, si ea malis ipsius componas, & modica. DEUS curam ea dulcia reddendi in se suscipit; & tu semper ingemiscis. Ille invitatur, ut de cruce descendat: & hoc facere penes ipsum solum est: jam enim plus egit, ac passus est, quàm ad te redimendum erat necessarium; & nihilo minus in cruce manet, in eaque mori cupit. DEUS te cruce affixit, & vult, ut in ea dures, nec de salute tua securus esse poteris, nisi cum Christo eidem affixus perseveraveris; & tamen ab ea vis descendere; atque ad hoc faciendum omnem conatum adhibes. Quanta ignavia!

III. Consideratio Cæli haud mediocriter ad patientiam animare debet justum, cum is affligitur. Aspice cælum, dicebat Machabæorum mater cujdam filiorum suorum

rum: atque hic aspectus omnes pœnas tuas
 suaves tibi reddet. *Momentaneum hoc &*
leve tribulationis nostræ, inquit S. Paulus,
 cuius hodie Conversionem colimus, *supra*
modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus c-
peratur in nobis. Si calamitates tuæ adhuc
 essent majores, Consideratio tamen æter-
 næ felicitatis, quæ earum terminus est,
 eas tibi ut modicas proponeret. Ut pri-
 mùm Divus Paulus ad bonam frugem con-
 versus est, DEUS ei significavit, mag-
 na ei pro nomine suo perferenda. Et sanè
 verbis sterit; nam ut idem Apostolus te-
 statur, ærumnas suas aliquoties fuisse tan-
 tas, ut eisdem succubiturus vidererur. *Su-*
pra modum gravati sumus. Verùm tamen ni-
 hil eum impedit, quin asserat: *Non sunt*
condignæ Passiones hujus temporis ad futuram
gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et hoc
 exclamare eum cogebat. *Superabundo gau-*
dio in omni tribulatione nostr. Imò sancti
 Martyres illo ipso tempore, quo crudelif-
 simè discruciabantur, adeò intenti erant
 coronis, quas exspectabant, ut suppli-
 cia, quibus torquebantur, vix persentif-
 cerent. Quis tam ignavum, patientiæ
 tam expertem in doloribus tuis te reddidit?
 hoc videlicet, quòd immemor sis, termi-

lanuarius.
 Peto, nate,
 ut aspicias
 ad calum 2.
 Machab. 7.
 v. 28.

2. Cor. I.
 v. 8.

Rom. 8. v. 18.

vident. coro-
 nas, vulnera
 non vident
 Tertull.



Januarius. num, ad quem illi te perducent, Beatorum esse sedem.

Assuesce, frequenter considerare infernum, Calvaria montem, & cæli gaudia, ubi in medijs ærumnis animum tuum frangi senseris. Hæc sola consideratio, roborare & animare te poterit.

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom. 8. v. 18.*

Nil lentis Crus in nervo, dum animus est in cælo. *Tertull.*

DIES XXVI.

De fervore in Cultu Divino.

I.

CUr remittis in obsequio DEI? cur ei minore cum fervore hodie servis, quàm heri faciebas? anne DEUS minùs grandis, minùs bonus, minùs amabilis est hodie, quàm heri? an minùs Creator tuus, primum principium tuum, ultimus finis tuus est? anne Christus minùs est Redemptor, & servator tuus? IESUS Christus, inquit Apostolus, idem est hodie, qui erat heri. An non eadem ratione ad ipsum pertines? an non eodem modo ab ipso pendes? an non eodem modo, totus ip-

*IESUS Christi
heri &
hodie Hebra
13. v. 1.*

ipsius esse teneris? an non eadem præmia tibi speranda, si ferventer ei servis? an non eadem pænæ tibi formidandæ sunt, si id non facis? an maledictionem suam minùs tibi minitatur, si ei negligenter servis? Cùm igitur DEUS non mutetur, sed idem sit erga te, cur tu muteris? cur idem erga ipsum non manes? Hoc Domine, aliud esse non potest, quàm effectus imbecillitatis meæ, & inconstantia mihi ingentia. Quis imbecillitatem roborare, quis inconstantiam meam firmare potest, nisi tu?

Ianuarus.

II. Cur à fervore remittis, varijs rationibus ad eum etiam augendum stimulantibus? quò magis ætate crescis, eò magis DEI beneficia crescunt, & quod consequens est, grata beneficiorum memoria & fervor tuus crescere magis deberet. Si tantopere DEO obstrictus es, quòd vitam tibi semel dederit, quantum ei non debes, quòd vitam toties tibi concesserit, quot numerare potes momenta, quæis eam tibi conservat? non est ullum vitæ tuæ punctum, quod pluribus Beneficijs non sit insignitum, nec ullum, in quo gratias tibi non congeminet. An igitur vel unicum esse convenit, in quo fervorem tuum non gemines? & nihilominus hic repesce-
re

Januarius. re indies incipit. Si rationem in eas omnium bonorum, quibus te cumulat, omnium malorum, quibus te liberat, omnium periculorum, à quibus te defendit, fatebere, te debitorem esse solvendo imparrem. Quis ergo fit, ut nondum de debito expungendo, sed nec de ulla amica compositione cogites? quis fit, ut torpeas, quasi DEO nihil amplius deberes, aut certe non coneris solvere, quod potes, si non totum, quod debes.

III. Cur à fervore remittis? quò magis ætate proveheris, eò magis ad mortem accedis; quò diutiùs vixisti, eò minùs vivendi tempus tibi superest; cum properare ad terminum tuum debeas, qui æternitas est, in via nugis occuparis; pauci exinde Dies, & longum tibi iter faciendum superest. Cur igitur passus tuos non duplicas? An non hoc est periculo te exponere, ne obruaris à nocte, quâ nemini iter prosequi conceditur, nisi aberrare, & perire velit; forsàn tibi vivere diutiùs non licebit; forsàn brevì rationem redditurus es; sed qualem rationem? sed cujnam judici? nihilominus te non paras rationis reddendæ non incurius modò; sed & immemor? quænam hæc agendj ratio? quò propiùs ad centrum & terminum accedunt

Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebra comprehendant. Jo. 12. v. 35. nox venit, quando nemo potest operari lo 9.

v. 4.

cor-

corpora, eò magis accelerant motus suos. **Ianuarius**
En! brevì morieris, brevì in vitæ tuæ eris
termino: & langues, & moraris? Tem-
pus breve est: itaque modicum, quod no-
bis ex eo restat, utiliter collocemus. Ni-
si hoc fecerimus, à nobis auferetur, Quan-
tum hoc infortunium!

*Conemur quotidie fervorem nostrum renova-
re, & sine intermissione cum Propheta dicamus:
Dixi, nunc cæpi: quia novas hodie causas ha-
beo, DEO serviendi.*

Spiritu ferventes, Domino servientes.
Rom. 12. v. 11.

Qui non proficit, remansit in via. *Aug.*

DIES XXVII.

De pietate erga Beatissimam
Virginem.

I.

IESUS & MARIA tam arctè inter se uniti
sunt, ut separari non possint. Ama-
ri, & honorari filius nequit, quin simul
honoretur, & ametur Mater. Omne me-
ritum, & gloria matris provenit ab eius
filio; & omnis honor, qui matri habetur,
in filium redit. Pietas, quæ MARIÆ
exhibetur, cor non dividit; sed è contra-

E

ria

Januarius.

rio illud arctius Christo conjungit. Fiducia, quâ ferimur in protectionem B. Virginis, non imminuit illam, quâ ferri debemus in ejus filium; sed potius auget, eamque justjorem, efficaciorémque reddit. MARIA tantum habet potestatis, quantum Bonitatis IESUS erga ipsam habet; ipsa verò tantum Bonitatis habet erga me, quantum fiducia ego in ipsam habeo. Quousque igitur extendere non possum affectus confidentiæ meæ? Cùm ea bona, & generosa sit, poteritne non amare hominem, qui ei servit, eamque amat? poteritne IESUS, qui MARIAM infinitè amat, illos odisse, quos ipsa amat? potestne is hominem perdere, cuj ipsa salutem æternam cupit? quid? permittetne, ut cor, quod amore in MARIAM ardet, inferni flammis ardeat? potestne hoc cogitare, quin de Bonitate IESU in MARIAM, & de bonitate Mariæ in servos suos dubitemus?

II. Quantumcunque sceleratus ego sim, de misericordia DEI nunquam desperabo, si misericordiæ Mater à me steterit. Misericordiam Matris opponam Iustitiæ filij. Poteruntne inter se dissentire? an non preces MARIÆ plus habebunt efficaciam ad eum mitigandum, quàm peccata mea ad eum irritandum? salutem

meam

meam in tuto positam iudicabo, ubi ea in [ianuarius]
manibus erit MARIÆ: si hæc illius ratio-
nem non haberet; tum id accideret vel
defectu potentiae apud filium, vel defectu
bonae erga me voluntatis. De neutro du-
bitari potest, quin & filio, & matri fiat in-
iuria. An verò potestas apud filium suum
desse potest ei, cui filius omnipotentiam
suam certo modo communicavit, ut S.
Bonaventura ait: quæ potest omnia per
filium suum; quæ potest omnia cum filio
suo; & quæ potest omnia apud filium
suum; an is, qui hominibus præcepit, ut
patrem, Matremque suam honorarent, le-
gem hanc violabit? an verò eam observa-
ret, si Matris suae deprecationes contem-
neret? an is, qui potus aquae rationem
habet, desse poterit officio suo erga illam
matrem, cui debet omnia, quæ habet ut
homo? an verò ei non deesset, si ipsi ne-
garet gratias, quas ab eo pro servis suis pe-
tit? Potestates MARIÆ metiri debemus
è dignitate Matris DEI, ad quam evecta
est, è bonitate filij erga ipsam; è magni-
tudine obligationum, quibus ipsi obstri-
ctus est, è dignitate Mediatrix hominum,
quâ ipsam honorat. Et si res ita se habet,
quousque non ascendit MARIÆ potestas?
& quousque confidentia nostra ascendere
non debet? F 2 III. Quem

Ianuarius.

*Nec facultas
illi deest, nec
voluntas.
Bern.*

III. Quemadmodum verò **MARIÆ** potestas non deficit, sic nec voluntas deficit. Mater nostra est: ubi enim **DEI** Mater effecta est, hominum quoque esse cœpit. **IESUS** **MARIAM** Ioanni matrem constituens annon etiam fidelium omnium voluit esse Parentem? ex illo tempore **MARIÆ** sumus filij adoptivi. Potestne Mater, quid dico Mater? poteritne matrum omnium optima benignitate erga filios suos carere? Nos sumus, haud nego, filij miseri; at, dum miseriæ nostræ miserationem eius augent, augent etiam intimum in ea amoris affectum; quia Mater est Misericordiæ, & peccatorum asylum. An ea ullum unquam repulit? si vel unicus inveniatur, inquit Bernardus, haud molestè feram, si **MARIAM** nec honoret, nec invocet. Sed ubi talis inveniatur? si verò maximos peccatores non reijcit, an fideles servos suos reijciet? Ah! quantus hic confidentiæ stimulus? **MARIA** est Mater **DEI**, est Mater mea, omni apud filium suum potestate pollet, habet omnem, quæ excogitari potest, erga me bonitatem. Si ergo ei serviam, si omnem in ea confidentiam meam reponam, an de salute mea mihi desperandum? an non ea potius certò speranda?

Sta

Statuamus magnam devotionem, magnam
Confidentiam erga B: V: protectionem habere;
sed & conemur eam vobis demereri ardente Zelo
erga omnia, quæ ad ipsius cultum spectant, ma-
ximè verò per insignem fidelitatem erga ejus
filium.

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hau-
riet salutem à Domino Prov. 8. v. 35.

Totum nos habere voluit per MA-
RIAM, qui & ipsum filium nos habere
voluit per MARIAM. Bern.

DIES. XXVIII.

De amore Christi.

*Amare Christum debemus, quia similis
nobis factus est.*

I.

AMor aut similes invenit, aut facit. Ve-
rùm similitudo etiam parit amorem.
Eadem ratio, quæ nos impellit ad nos
amandos, etiam nos impellit ad amandos
illos, qui similitudinem nobiscum habent.
Christus, cum vellet amorem nostrum quo-
cunque demum pretio mereri, voluit se
perfectè similem nobis reddere. Si Sym-
pathia, & similitudo, quæ nobis cum homi-

*In similitu-
dinem homi-
num factus
Philip. 2 v.*

F 3

ne

7.

Januarius.

ne aliquo est, fortuita licet, nulloque empta labore, quæque non inutilis modo, Sed non raro etiam funesta nobis fit, tantam potestatem habet ad cor nostrum rapiendum, ad amorem nostrum sibi reconciliandum, quanta vi in corda nostra pollere non debet similitudo, quam Christus habere nobiscum voluit, & quæ effectus est Electionis æternæ, sapientiæ, & bonitatis infinitæ? Si hominem amas, inquit S. Thomas, quia homo est, sicut tu, quomodo amabis DEUM, qui homo factus non est, nisi amore tui?

II. Similitudo, quam tecum habet creatura aliqua, quæ aliquoties vix non fascinat, nihilo illi stetit. At quanti non stetit Christo illa, quam nobiscum in humanitatis Assumptione habere voluit? DEUS nos creaverat ad imaginem suam; & hoc ei modico steterat: Verbum unum satis erat; verum ut se nobis similem reddat, quanto id non stat labore? Ad reddendum hominem similem tibi, mi DEUS, plus non requirebatur, quam aliquid ei de perfectionibus tuis communicare; atque hoc bonitate tua dignum erat. Tu eum elevabas, quin te demitteres: Sed ut te similem redderes homini, & homini peccatori, & misero, quanto tibi pretio stare non debebat? Necessarium erat, ut tua te
ma-

majestate & gloria, tua, potentia; tua, felici-
tate, & quodammodo te ipso spoliare. Et
nihilominus id facis; tui ipsius oblivisceris,
ut mei nimirum recorderis. Dissimilem
te tibi ipsi reddis, ut te efficias similem
mihi. Difficile tamen id tibi non accidit,
quia me de amore meo tibi conciliando
agitur: Et quantillo staret mihi, eum tibi
dare? vel potius, quanto mihi non consta-
bit, eum si nego? Et tamen difficile mihi
accidit, eundem tibi dare.

III. Similitudo, quam alius homo me-
cum habet, semper mihi profus inutilis est,
imò sæpè funestissima, quia amor, ad quem
illa me impellit, non rarò sceleratum me
reddit, & quod inde sequitur, infelicem;
& nihilominus me fascinat! Contra simi-
litudinem, quam Christus mecum habere vo-
luit, cor meum non movet, licet ea tantum
mihi commodi asserat: Dum enim similem
se reddit homini peccatori & infelici, ideo
facit, ut hominem similem DEO infinito
felici reddat: Si bonis suis se spoliat, id
facit, ut nos divites efficiat: Si ad nos usque
descendit, fit hoc, ut nos ad se usque evehat.
Si naturam assumit humanam, cum omni-
bus suis miserijs, fit hoc, ut nobis commu-
nicet naturam divinam cum omnibus suis
privilegijs. Si ad promerenda vel animo

Januarius.

grato agnoscenda omnia hæc bona, quæ mihi attulisti, mi Servator, per hanc similitudinem, bona, gloriam & vitam meam, tibi consecrarem, an nimium offerrem? Et tu à me nil aliud petis, nisi, ut amem te. Atque in signum grati animi pro beneficio, quo mei similis esse voluisti, vicissim tui similis evadere laborem; cum omnis mea felicitas in hac similitudine & hæc in amore sit posita.

Pete à Christo Domino, ut idem amor, qui ipsum coëgit, similem se tibi reddere, etiam ipsum impellat ad concedendas tibi gratias necessarias, quibus te similem ipsi reddat.

In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. *Philip. 2. v. 7.*

Non enim se ita humiliâsser, nisi nos esset exaltaturus. *Chrysof.*

DIES XXIX.

De Præcepto amandi Deum.

I.

DEUS nobis præcipit, ut se amemus; quanta Bonitas? Multum fuisset, si amari se passus fuisset: Verùm id nobis præcipere, an non est se deprimere? Majestas Regum tantum venerationis nobis impri-

Imprimit, ut vix eos amare, multò minùs ^{Januarius.} nostrum in eos amorem declarare audeamus : At DEO Majestas sua non adeò cordi est. Insignis aulico cuidam obtingeret gratia, si rex ei diceret : Volo, ut me ames : Et quanta nobis fit gratia, quòd DEUS nobis etiam præcipere amorem erga se velit, sibi que honori ducat, si eum à nobis sæpiùs declarari audiat ? Quin imò, an non dedecori nobis est, & quodam modo etiam ipsi, quòd præceptum nobis injunxerit, se amandi ? Quid, cùm DEUS adeò amabilis sit, an necessarium erat amorem, ut nobis mandaret, & nobis, qui tot eum amandi causas habemus, etiam præcepto opus erat, quò ad eum amandum obligaremur ? Si posses, Domine, mihi mandare ut te non amarem, possémne tibi morem gerere ?

II. Et verò quid admirandum magis, aut quòd DEUS licèt infinitè beatus, sibi que sufficiens tam sollicitè tamen sui nobis amorè præcipiat, quasi absque eo de sua felicitate actum foret, aut, quàm, etsi omnipotens sit, omnésque intendat vires, quò nostrum sibi amorè conciliet, tum frequenter tamen sua & præcepta, & conatus irritos deprehendat. Fateri planè necesse est, nullà humani intellectùs acie capi posse sive ardentissima summi Numinis desideria,

Januarius.

quibus à nobis amorem sibi adeò inutilem concupiscit: Sive humani cordis duritiem, ac pervicacem resistantiam, quâ hæc desideria, è quorum expletione unicum & summum promanaret ipsi bonum, non stultè magis, quàm impiè repellit. Domine, ut ingratiſſimus simul, ac perduellis homo, meritas suæ duritiæ luat pænas, aliâ re non opus est, quàm ut in eadem hæere eundem finas. Hoc erit suppliciorum justissimum juxta, ac terribilissimum.

III. Præcipis mihi, Domine, ut amem te, dicebat S. Augustinus; & si te non amo, maxima mihi mala comminaris. estne gravius malum, quàm te non amare? Domine, si me terrere cupis; non minare mihi inferorum ignes, sed minitare mihi, te nunquam concessurum, ut amoris tui ignibus ardeam. Hæc comminatio terribilior mihi erit, quàm illa inferni; nam, ut ait S. Franciscus Salesius, vir ille admirabilis, qui amore in DEUM tam puro flagrabat: infernus, cum tui amore, si is ibi inveniri posset, verus Paradisus esset; & certè solatio mihi foret, si viderem, nullum amplius inveniri locum, in quo non amaris; & cælum absque tuo amore, si amor inde pel- li posset, verus infernus evaderet. Domine, cum hoc mihi præceptum dederis, da
mihi

mihî gratias ad id implendum necessarias. **Januarius**
Nam sine te possum te quidem offendere,
tibi que displicere; verum sine te nec te ama-
re, nec placere tibi possum.

*Convertete te ad S. Franciscum Salesium, cu-
jus hodie festa dies colitur, ut per ejus intercessio-
nem obtineas saltem modicum quid ardentis hujus
in DEUM amoris, quo ipse flagravit. Liber de
amore DEI ab eodem compositus non tantum po-
tentes tibi rationes suppeditabit, eò pertingendi,
sed etiam ipsius exemplum haud paulò potentius
erit incitamentum ad DEUM amandum.*

Diliges Dominum DEUM tuum ex toto
corde tuo. Hoc est maximum, & primum
mandatum. *Matth. 22. v. 37.*

Jubes te diligî à me. Da, quod jubes,
& jube, quod vis. *Aug.*

DIES XXX.

De immensitate, seu Præsentiâ DEI.

I.

DEUS est ubique per suam essentiam.
Præsens est omnibus Creaturis; &
quidem magis præsens tibi & ipsis inest,
quàm lux aëri, & corpori tuo insit anima
tua. Aër sine lumine, corpus tuum sine
an-

Januarius, anima esse potest; sed nec tu, nec ulla alia Creatura sine DEO esse potest; neque earum natura subsistit, quàm per unionem, quam cum natura DEI habent. Natura Divina fulcrum, & quodammodo basis est omnium naturarum; quæ in nihili tenebras relaberentur, si hoc eis fulcrum subraheretur. si DEUS mihi semper præsens est; an non & ego ipsi semper Præsens esse, sempèrque de eo cogitare deberem? & nihilominus ipsius obliviscor; sum in ipso, & ipse in me; & eum ignoro; aut certè vivo, quasi eum ignorarem. Uti- que adèd irreverentem me exhibeo in præsentia tam tremendæ Majestatis, adèd, parùm formidinis habeo eandem offendendi. Equidem non video DEUM; sed ipse me videt, & ego eum sentio; licet sub aspectum neutiquam cadat: an non æquè, ac Moyses eum videre oculis fidei debeo?

*Invisibilem
tanquam
videns susti-
num Heb. 11.
v. 27.*

II. Deus est in omnibus rebus Creatis per potentiam suam, non modò, quia eas conservat, quia eis agendi potentiam tribuit; sed etiam, quia plus in ipsis agit, quàm ipsæmet. Is me illuminat unà cum sole, calefacit me cum igne, refrigerat me cum aëre, nutrit me cum cibus: recreat me cum omnibus suis Creaturis adèd

deo pulchris, & amænis: instruit me, Januarius,
dirigitque cum hoc homine tam sapiente
& perspicaci, defendit me, assistit mihi,
solatur me cum fido hoc amico, motum
tribuit meæ linguæ ad loquendum, meis
oculis ad videndum, manui meæ ad agen-
dum, animæ meæ ad operandum: si igitur
ipse mecum agit, an non ego simul cum
ipso agere, & sentire; an non omnibus ejus
consilijs me submittere debeo? quàm in-
decorum id foret, si concursu divino abu-
terer ad eum offendendum? si abuterer
venustate, quâ Deus Creaturas ornavit,
ad sensibus meis blandiendum, meumque
affectum ijs consecrandum. Si abuterer
sapore, quem Deus tibi indidit, ad in-
temperantiam meam excitandam; si con-
cessa mihi ad eum perveniendi media ad-
hiberem eum in finem, ut ab eo longiùs
recederem; an non hoc esset Deum ad ser-
viendum iniquitatibus meis cogere? Ah
Domine! subtrahe mihi potiùs concur-
sum tuum, quàm ut me mihi metipsi re-
linquas, meque in tantam improbitatem
labi permittas.

III. Deus est ubique per suam Providen-
tiam: is omnes Creaturas gubernat, ut eas
suo obsequio impendat, ut omnes earum
actiones ad se velut proximum earum fi-

rem

Januarius. nem dirigat: Is dat lumen soli, ut te illuminet; calorem igni tribuit, ut te calefaciat, saporem cibus impertit, ut te nutriat. Virtutem plantis indit, ut te sanet. Tu unicus scopus es eorum, quæ Deus extra se operatur, & profert. Si ergo DEUS cum omnibus Creaturis nihil agit, nisi pro te, tum neque te quidquam agere cum iisdem decet, nisi pro ipso. Illa tibi debent esse veluti specula, quæ divinas tibi pulchritudines ob oculos ponant: velut totidem voces, quæ te hortentur, ut divinæ Bonitatis recorderis; velut totidem Beneficia, quæ te obligent ad ipsum ammandum & grates pro illis agendas; veluti totidem media, interiorum grati animi sensum ei testificandi; quod fiet, si hæc omnia veluti sacrificia eidem immolaveris. Atque hac ratione anima pura DEUM ubique videt, DEO se in omnibus unit, adeoque in terris cælestem quemdam Paradisum invenit. Verum heu me! an non oblivionem & separationem à DEO, in qua vivo, veluti verum infernum reputare debeo?

Assuescamus DEUM contueri in omnibus Creaturis; at adhuc magis in nobismetipsis, & in corde nostro; hoc enim est illud templum, ubi in spiritu & veritate adorandus est.

o. Fur.

Invisibilem tanquam videns sustinuit. *Januarius.*
Hebr. 11.

Ama in Creatura Creatorem; nec te-
neat te, quod ab illo factum est, & amit-
tas, à quo ipse factus es. *Aug.*

DIES XXXI.

De Paradiso cælesti.

I.

Quid est Paradisus cælestis? Est felici-
tas, quæ non solum omnes nostros
labores, & merita, sed & nostras cogita-
tiones, & desideria superat. Paradisus hic
est felicitas, quæ omnia mala excludit, &
omnia bona complectitur in omne ævum
duratura. Est oblectatio sine dolore, gau-
dium sine molestiâ, quies sine inquietudine,
pax sine perturbatione, & timore, fructio
omnium bonorum sine fastidio; est bonum
purum, bonum Universale, bonum æter-
num, bonum infinitum. O Cælestis Pa-
radise! Bona, quæ continet, tanta sunt, ut
ad ea exprimenda satis dici; nec ad prome-
renda præstari satis possit. O Paradise Cæ-
lestis! Illi soli, qui te possident, te con-
cipiunt. Ad nos verò quod attinet, aliud
non possumus quàm ad te aspirare.

II. Quid

Januarius.

II. Quid est Paradisus Cælestis? est Inventio summè admiranda sapientiæ Unius DEI, extremus ejus potentiae Conatus, ejus liberalitatis & magnificentiae terminus, dignum sanguinis DEI pretium. bonum tam grande, quo DEUS, quantumvis Omnipotens sit, dare melius nil potest: nam is ipsemet est, qui se Beatis in cælo communicat. An quid melius se ipso dare potest? si per plura sæcula subeunda essent Martyrum tormenta; qui comparari possent omnia hæc mala cum tanto bono? *existimo, inquit Apostolus, quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Atque ad hanc felicitatem obtinendam à nobis plus non exigitur, quàm ut modicam vim immoderatis nostris cupiditatibus inferamus, ut unico cordis contriti, & humiliati suspirio peccata nostra detestemur, & eorum veniam à DEO flagitemus; ut unicum aquæ vitrum DEI amore sitiienti propinemus. An hoc à nobis exigere nimium est? an non inferorum supplicia meremur si tantillo pretio Cælum nobis comparare negligimus?*

Rom. 8.
v. 18.

III. Quid est Paradisus Cælestis? Est felicitas, ad quam, suspirare, quam desiderare, quam mereri, quam possidere; sed perfectè comprehendere nunquam

quam possumus: & nequetunc, cum ea **Februarius.**
fruemur. At, licet eam comprehendere
nequeamus, certè eam credere debemus.
An verò eam credere, nec tamen deside-
rare, sed potiùs negligere, & exiguam
ei delectationem, turpèmq; unius mo-
menti voluptatem præhabere possumus?
qui felicitatem æternam, felicitatem in-
finitam non assiduè desiderat, infinite
infelix & æternùm esse meretur. Eheu!
damnatorum manes hoc bonum in omnem
æternitatem desiderabunt, sed incassum;
hoc enim desiderium eis ad aliud non ser-
viet, quàm ad augendas eorum misérias.

*Cum tui confusione agnosce exiguum illum
ardorem, quem habes erga tam grandem felici-
tatem, que te in celo manet, inde oriri,
quòd tibi aut fides, aut spes, aut utraque de-
ficiat.*

Oculus non vidit, nec auris audivit,
nec in cor hominis ascendit, quæ præ-
paravit Deus ijs, qui diligunt illum
Cor. 2. v. 9.

Concupisci potest, in illud suspirari po-
test, mente concipi, aut comprehendì
non potest. *Aug.*

G CON-

Februarius.



CONSIDERATIONES
CHRISTIANÆ.

Pro Singulis Anni diebus.

FEBRUARIUS.

DIES I.

De Fide.

I.

Fides nostra DEUM summopere honorat. Hæc est cultus perfectissimus, quem huic supremæ veritati homo præstare potest. DEUS summa pollet libertate, & supremâ jurisdictione, eaque universali, & absoluta. Melius ergo honorare eum non possumus, quàm submissione absoluta, & universali. Ipse est Lex suprema, suprema sapientia, suprema veritas. Supremam hanc legem dignè honoramus, si voluntatem nostram ei submittimus illis etiam in rebus, quæ propensionem nostræ adversantur; si amamus id, quod non amore, sed potius odio dignum est; uti est inimicus noster. Supremam hanc sapientiam dignè honoramus,

mus, cum ejus directioni nos subijcimus, *Februarius.*
etiam tunc, cum eam non comprehendimus; tunc etiam, cum propensione, vel utilitati nostrae repugnare videtur; persuasumque nobis habemus, alia negotia nobis curanda non incumbere, nisi ea, quae DEI sunt. Supremam hanc veritatem dignè honoramus, si credimus id, quod sensus nostri non percipiunt, id, quod ratio nostra non capit; imò id, quod contrarium est ei, quod sensus, & rationis nostrae lumina nobis proponunt. Quàm digna DEO est hæc submissio; an hac ratione DEO te subijcis? Quàm dignum perfecto Christiano est hoc sacrificium! An id immolas? Et quidem nullo admissio dubio, nulla exceptione? Dubitare non est credere; vel unicum articulum excipere, est omnes alios rejicere.

II. Fides nostra summo opere nos honorat, illa enim, dum honorem DEO habet, non mediocrem etiam nobis offert. Illa nos deprimendo elevat, illa nos excæcando illuminat: Illa nos suiijciendo, à subjectione liberat, idcirco, quod è captivitate sensuum nostrorum nos eximat. Fides quodammodo consecrat intellectum hominis per cultum, quem DEO præstandum suadet. Illa eum infinite perspica-

Februarius. cem reddit, dū eum divinæ Sapientiæ unit. Illa eum reddit inconcussū, dum eum cogit divina niti autoritate: Illa facit, ut decipi non possit, dum supremæ eum veritati affigit: Illa ei communicat & lumina & certitudinem DEI; illa ex ipsius DEI lumine de rebus iudicium fert. Si firma fide credo veritates, quas DEUS mihi revelat, particeps fio certitudinis, quam DEUS habet. Et quod consequens est, æquè parūm decipi, ac ipse DEUS, possum. Quantum animi robur, quantam sublimitatē, quantam gloriam mihi fides non impertit; & ad quantam imbecillitatem, & vilitatem non reducuntur ij, qui ab ea se dirigi non sinunt?

III. Fidem nostram honorare debemus, vitam ei consonam agendo: anne hoc facimus? Credere DEUM infinitè magnum, & ei non servire? infinitè bonum, & eum non amare? infinitè justum, & eum non timere? quæ hæc inter se conveniunt? Credere, quòd id, quod magnum est coram hominibus, abominandum sit coram DEO, & ad hanc magnitudinem aspirare? Credere, quòd Christus Dominus maledictionem vibret in divites & voluptuosos, & divitijs, ac voluptatibus ardentè inhiare? credere, quòd Christus felicitatem suam constituat in paupertate, & pœnitentiæ lacry-

te unit.
ncogit
decipi
ti affi.
certi-
hine de
credo
triceps
Et
decipi,
animi
m glo-
quan-
redu-
nt?
emus,
oc fa-
num,
z eum
on ri-
Cre-
oram
DEO,
Cre-
ictio-
s, &
iare?
suam
æ la-
y-

crymis, & eas cum horrore fugere? credere, **Februarius**
quòd non perveniatur in cælum, nisi per
humilitatem, & semper altiùs tendere vel-
le? credere, quòd, ut Christiani simus, neces-
sarium sit carnem nostram crucifigere;
neque tamen aliud cogitare, nisi de modo
eidem blandiendi? credere, quòd violenti-
opus sit ad salutem æternam consequen-
dam, & nulla in re violentiam sibi adhi-
bere velle? an hæc omnia inter se conve-
niunt? Aut fidem, aut vitam muta. Has
veritates non credere, est à fide Christiana
alienum esse; eas credere, & vivere, tan-
quam eas non crederemus, est insanire: His
perpensis, quære ex temetipso, num à fide
Christiana alienus, an verò fatuus sis? *Qui
non credit, inquit Servator, jam judicatus est:*
Sed, qui credit, & vivit, quasi non crederet,
severius punietur. Si fides tua ad bonam
frugem te non ducit, te condemnabit.

*Compara fidem tuam cum vita tua, quanta ea
tibi confusionis erit materia? Sed in hac sola con-
fusione ne hæreas. statue vitam tuam fidei tuæ
accomodare, nisi velis, ut ea te condemnet.*

Ostendam ex operibus fidem meam. *Ja-
cob. 2. v. 18.*

Imposturæ genus est aliud agere, & aliud
proferri. *Ambr.*

facere teneor. Tantùm abest, ut faciam opera gratuita, ut & ijs me subtraham, ad quæ agenda obligor; imò multoties muneri meo desum: quanta parsimonia erga DEUM adeò liberalem?

II. Maria DEO offert id, quod charissimum habet, nempe Filium suum unicum, hunc in sacrificium quantocunque staturum pretio immolat. Eheu! Tanto jam tempore DEUS à te offerri sibi desiderat, hoc unicum cordis tui, hoc videlicet peccatum cui immoderatè addictus es; hanc parvam consuetudinem, hanc affectionem animo tuo dominantem: Et necdum obtinere eam potuit. Eodem tempore, quo sanctissima Virgo tam gratum æterno Patri munus offert, cælum non nisi cruces & ærumnas ei promittit: Quod ei indicatur his verbis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Qualis compensatio? Sic DEUS amicos suos tractat. Visne etiam tu hoc pretio DEO te immolare? Is neminem unquam adeò amavit, ut IESUM, & Mariam, & neminem unquam tantopere afflixit. Persuasum proin tibi habeto, cruces esse signum amicitiae, & gratiae, quam tibi impertitur? An de hoc ambigere potes, dum vides, quí cum IESU & MARIA agat? Eheu! An non querimoniae & murmuraciones

Februarius, tuæ, in rebus adversis satis indicant, te contrarium credere?

III. Pater æternus voluit, ut Filius suus per manus Mariæ sibi offerretur: Potuissetne gratus accipere sacrificium; cum DEUS ipse esset Victimæ, & Mater DEI Sacerdos? Si volumus, ut munera nostra DEO accepta sint, ea per Mariam offeramus, cum muneribus IESU uniamus, quantumvis exigua & impura illa sint, manibus tamen tantis puris oblata victimæ tam gratæ unita, pura evadent, grata evadent. Quemadmodum Pater æternus Filium suum dare nobis voluit per Mariam, sic etiam voluit, ut omnia bona per Mariam acciperemus; & preces denique nostras acceptare per Mariam voluit. Omnia, quæ Filius offert Patri, ei sunt infinite grata: Omnia, quæ Maria offert Filio, ei sunt acceptissima. Pater Filio negare nihil potest, nec Filius Matri, nec Mater filijs suis, & ijs, qui cum vera confidentia ad eam accedunt. Si gratiæ te deficient, cujus culpa id accidit, nisi tuâ?

Firmiter statue nihil in posterum agere, nisi propter DEUM. Offer ei te totum penitus in sacrificium, & precare Deiparam, ut DEUM moveat ad acceptandum munus, dum ei te ipsum consecras.

Mecum

Mecum sunt divitiæ, ut dixem diligentes **Februarius.**
me. *Prov. 8. v. 18.*

MARIA, O nomen, sub quo nemini
desperandum. *Bern.*

DIES III.

De bono usu Temporis.

I.

Tempus valdè pretiosum est, quia nobis
conceditur, ut eo utamur ad servien-
dum **DEO**, animæque nostræ salutem curan-
dam. valde pretiosum est, quia Chri-
stus id nobis pretio sanguinis sui compa-
ravit. Valde pretiosum est, quia nec uni-
cum ejus est momentum, quo in gratia, &
charitate crescere, possessionem **DEI** mereri,
atque integram omnis prorsus felicitatis
æternitatem obtinere non possimus. Un-
de momentum quodlibet aliquam quo-
dammodo æternitatem complectitur. quot
momenta perdo, tot æternitates perdo.
quanta jactura? Stupidi planè sumus,
si his non movemur; imò summopete cæ-
ci, si etiam occasiones tempus hoc tam
charum perdendi quæramus, atque ejus ja-
cturam in gaudijs nostris numeremus.
Verùm, an non insanimus, si eo abuta-

G 5

mur?

Februarius. mur? ad quid? ad nihil agendum, ad ludendum, ad nugandum, ad peccandum, ad nos damnandos, ad colligendos contra nos thesauros iræ, cum thesauros meritorum colligere possemus? Temporis pretium nonnisi in æternitate cognoscemus.

II. Quemadmodum tempus pretiosum, sic & breve est. Tempus præteritum non est amplius nostrum; & habet se respectu nostri, quasi nunquam fuisset: futurum in potestate nostra non est, nec id polliceri nobis possumus, nec illius nos redere securos. Tempus solummodò Præsens nostrum est; & hoc celerrimè transit. Velocitas cuiusdam cursoris, subitus fulguris splendor, avis prætervolantis rapiditas, vel navigij, quod flante à puppi vento propellitur, celeritas, similitudines sunt, quæ spiritus sanctus utitur ad indicandam rapiditatem, qua tempus elabatur: quæ tamen illam nec dum satis exprimunt, Heu me! Præsens nonnisi momentum est; & hoc unicum est meum: quo niri possim; & ego vix adverti id adesse, cum jam præterijt. Et nihilominus id negligo, id elabi mihi sino, & cū eo fortasse tempus agendæ pœnitentiam, unicam videlicet, & tutissimam salutis consequendæ rationem. estne socordia tam horrenda in tanti ponderis negotio excusatione digna?

III. Hoc

III. Hoc tempus tam pretiosum, & tam ^{februarius.} breve irrevocabile est: ubi transijt, reduci non potest. Et qua ratione nos id revocare possemus, cum DEUS ipse, licet omnipotens, hoc non possit. Si verò revocari non potest, saltem reparari potest. Quidni ergo id agimus? DEUS vitam nobis non producit, nec tempus longius concedit, nisi ut horas perditas pœnitentiâ sarciamus. An igitur credamus, eum nobis tempus concedere, ut eo utamur, ad se offendendum, & irritandum; & non potius ad satisfaciendum justitiæ suæ, suamque iram placandam. Viator aliquis, ubi advertit, se multum temporis consumpsisse, vel à recto tramite aberrando, vel longiores faciendo circuitus, vel inutiles moras trahendo, sibi que multum adhuc viæ, parùmque Diei superesse, an non studet passus suos accelerare? si defleximus, aut moras traximus, sicut ipse, cur non etiam ejus diligentiam imitamur? an in id tempus hac de re cogitare differimus, quo terribile illud pronuntiabitur: *Tempus non erit amplius*, quò salutem æternam tibi compares.

Apo. 10.

Statuamus nec momentum perdere, cum ea omnia tam brevia sed pretiosa sint; atque id, quod perdimus, forsan ultimum esse possit.

Nem-

Februarius.

Nemini dedit spacium peccandi. *Ecclesi 15.*

4. 21.

Nihil nobis fit omne, quod transit.

Aug.

DIES IV.
De fine Hominis.

*Necessarium est, ut homo DEUM glo-
rificet.*

I.

A Deo Necessarium est, ut DEUM glorifices; ut non solum DEUS hac necessitate & absolvere te nequeat; sed nec tu ipse, quantumvis liber sis, eam eximere te possis. Si non sponte tua eum glorificas, invitus eum glorificabis: si eum non glorificas, ejus voluntati te submittendo, ejus leges observando glorificabis eum invitus, pœnis te subijciendo, quibus eos castigat, qui leges suas violant. Glorificabis DEUM, inquit S. Augustinus, aut faciendo, quod ipse vult, aut patiendo, quod tu non voles.

II. Damnatorum manes in inferis media inter tormenta DEUM glorificant. Eorum ululatus, atque ipsæ eorum blasphemiae mirificæ, sed modo prorsus inusitato, cum omnibus Creaturis ad DEUM glorifican-

candum & prædicandum conspirant. Ig- Februarius.

nis inferni, quantumvis tenebricosus sit, & eius gloriam illustrat; dum manifestas ipsius perfectiones; ipsius sanctitatem per terribilem oppositionem, quæ ipsum inter, & peccatum invenitur; ipsius justitiam per horrendas vindictas, quas de eo sumit; ipsius potentiam, & sapientiam, dum invenit modos tam inauditos, infortunatos hos puniendi, & torquendi spiritus per actiones à causa corporea proficiscentes. Quis, O Domine novit potestatem iræ tuæ? Nihil melius me docet, quàm infernus, quid sit Deus, & quid sit, eum offendere.

Psal. 89, v.

11.

III. Itaque necessarium tibi est, ut gloriæ Dei promovendæ studeas, aut ejus justitiam, aut Misericordiam, extollendo, aut lubenti animo ejus legi te submittendo, vel ejus vindictis nolens volens te subijciendo, vel eum laudando, eum amando, eum in cælis possidendo vel patiendo, rabie insaniendo, eumque blasphemando in inferorū cruciatibus. Hæc tibi necessitas incumbit, alterutro modo Deum glorificandis; uter horum modorum tibi melior videretur? tuum est eligere. Ah! ane deliberatione opus est?

Conscientiam tuam in Consilium voca, ut ex ea quæras, quem in modum glorificare DEUM malis?

Februarius. *malis ? an divinis ejus legibus te submittendo , an pœnis te subiiciendo , quibus eos excipit, qui leges ipsius violant.*

Notum fac mihi finem meum , ut sciam, quid desir mihi. *Psal, 38. v. 5. & 6.*

Aut facies, quod vult DEUS, aut patieris, quod non vis. *Aug.*

DIES V.

De abusu Gratiarum.

I.

Nihil magis necessarium est, quàm gratia, & nihil magis negligimus. Nihil ea pretiosius est, & nihil magis contemnimus. Minima gratia plus valet, quàm omnia bona, quàm omnes voluptates totius mundi: si hæc omnia conjunctim imponerentur uni parti bilancis, & alteri gratia, hæc illis præponderaret. Et tamen quotidie huic præferimus turpem voluptatem, lucrum vilissimum. Quàm horrendus contempus! Hæc omnem DEI sanguinem valet. Necessarium fuit, ut ad eam promerendam vitam suam expenderet. Quando igitur gratiâ abutimur, sanguinem Christi pedibus conculcamus. Quanta prophanatio! fructum mortis ipsius non tantum nobis inutilem, sed & funestum

stum reddimus, & efficacissimum nostræ salutis instrumentum in potissimam reprobationis nostræ causâ convertimus. Quanta Cæcitas! si vox sanguinis ipsius Christi me condemnat, quis justum me pronuntiabit?

II. Si arcanis hisce Conscientiæ nostræ exprobrationibus non movemur, si salutare ejus latratus compescimus si ad viva hæc lumina, quæ DEUS nobis impertit, oculos claudimus, & inspirationes, quæ nos urgēt, negligimus, cogitamusne, gratiæ nos esse rebelles, eamque aspernari, & injuria afficere? cogitamusne de malis, quæ sequuntur peccatum, quod admittimus, de periculis & miserijs, in quæ nos conijcimus! an hujusmodi cogitationes eò usque opprimemus dum nullum amplius malo remedium supererit? damnati in inferno gratiæ pretium intelligunt; ejus, quem admiscere, abusum æternum deplorabunt; eumque sarcire in omnem æternitatem, sed incassum optabunt. Abusus gratiæ in vita eos sceleris reos: sera verò hujus abusus pœnitentia, privatio, atque inane hujus gratiæ desiderium eos æternum reddent infelices. Si hoc cogitares, possesne resistere salutaribus motibus, quos fortasse DEUS tibi nunc immittit?

III. Heu mihi! credebam Domine, nihil mihi formidandum præter peccata, quæ
ad

Februarius, admisi, sed jam video, gratias, quas ac-
 cepi, magis adhuc mihi formidandas, quam peccata mea: vel potius peccata mea
 formidanda non esse, nisi ob gratias acceptas. Quas si non accepissem, omnino non essem nocens. & Si earum accepissem pauciores, pauciorum forem reus culparum. Tyro & sidoni, inquit Servator, remissus erit in iudicio, quam Bethsaida & Corozaim: Quæ non talia, qualia illæ, lumina & gratias habuere? miser ille Ethnicus erit iudex tuus, ignave & perfide Christiane. Una pars gratiarum, quas DEUS tibi impertijt, reddidisset eum Christianum, & fortasse sanctum, & te verum Christianum reddere non potuere? At quia te verum Christianum facere non valuere, infelicem te & reprobatum efficiant.

Luce 10. 13.

lib. 10.

Statue gratia fidelio rem te præbere; & si nunc ab ea urgeri te sentis, noli ei resistere, ne ea tibi in pœnam tuæ repugnantia subtrahatur.

Exhortamur, ne in vanum gratiam DEI recipiatis. 2. Cor 6.

Non gratia DEI sola, nec ipse solus; sed gratia DEI cum illo. *Aug. lib. de gratia.*

DIES

DIES VI.
De Morte.

De necessitate Mortis.

I.

MOriendum est. Hæc est veritas, de qua dubitare nemo potest. Hæc est sententia à justitia DEI pronuntiata, à qua aliò appellari non potest. Hæc est lex, qua nemo est immunis. Hæc reges vulgo permiscet; quos, postquam orbi dedere leges, mortis parere legibus necesse est. Adulatio, quæ ipsos reddere deos voluit, immortales eos reddere non valuit. Tunc etiam cum in medio gloriæ & triumphorum suorum, thronum occupant supra Mortalium capita elati, ad mortem, velut hominum vilissimi condemnantur, & in seipsis, ut Apostolus ait, *responsum mortis habent*: Inviti percipiunt arcanam quandam vocem, quæ ad deprimendam ipsorum arrogantiam ejs dicit: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Forèsnè tam inflato, ac tumentis animo, si huic auscultares voci?

II. Nihilominus, cum certò nobis moriendum sit, ita vivimus, ac si immortales essemus. Si tam perspectum nobis esset,

H

nos

2. Cor. 1.
v. 9.

Gen. 3. 19.

Februarius, nos non morituros, quàm perspectum nobis est, nos morituros, an aliter viveremus? qui sententiâ irrevocabili ad mortem damnari decreti executionem in momenta præstolamur, tempus tamen terimus ludendo, nos oblectando, mille vanis, & vastis Consilijs excoquendis, quasi æternùm essemus victuri. Quid diceres de homine, qui obscuro carceri inclusus, & in momenta expectans, quando in ferale pegma effect producendus, non cogitaret, nisi de excoquendis ambitiosis consilijs, de magnis divitijs sibi comparandis, de magnificis extruendis palatijs, utique eum mentem esse affirmares? an tu minùs insanis, si idem, quod ille, agis?

III. Homo hodie compareret, cras è conspectu evolat. & ubi oculis se subduxit, brevè è memoria excidit. Hoc unicum commodum Principes & magnates habent, quòd, ubi cadunt, majorem tumultum excitent, eorùmque ruina majore cum fragore fiat. Atque hoc est, quod splendido gloriæ, imò & immortalitatis titulo nuncupatur. Quid magis vanum? quid magis frivolum est? præter hoc tamen mundus a seclis suis dare potest nihil. éstne operæ pretium, ut tanti suscipiantur labores ad id obtinendum? éstne operæ pretium,

*Perijt memoria eorum
cum sonitu
Psal. 9.*

tiū, ut ei acquirendo æternitatem nostram *Februarius*
 in discrimen conijciamus? hæc est illa fasci-
 natio puerilium nugarum, quæ à SS. Literis
 appellatur *fascinatio nugacitatis*, Quæ *Sap. 4^e*
 mundi sectatores incantat, quæ verè sa-
 pientum miserationem excitat, justam
 tamen DEI indignationem provocat. Ah
 Domine! fac, ut potiùs te ad commiserat-
 tionem, quàm ad iram provocem, & mi-
 sericordia tua te impellat, ad rumpendum
 ope luminis & gratiæ tuæ fascinum, quod
 nos excæcat.

*Statue, nec diem prætermittere vitæ tuæ,
 quin identidem tibi met dicas: Moriendum est.*

Staturum est omnibus hominibus, semel
 mori. *Hebr. 9. v. 27.*

Tantò magis appropinquat vitæ finis,
 quantò magis distulit. *Euch.*

DIES. VII.

De brevitare Vitæ.

I.

Mors propinqua est. Cuncta, quæ vi-
 des, cuncta, quæ audis, eam tibi
 annuntiant; nec tamen ejus recorda-
 ris? intra breve temporis spatium com-
 parere tibi necesse est coram severissimo

Februarius, iudice, nec de rationibus tuis ritè parandis sollicitus es? Moriendum est; apud omnes in confesso est. Quòd verò brevè sit moriendum, paucorum sententia est. Quin imò contrarium sibi quisque pollicetur, quasi verò, dum mortem longè remotam sibi fingunt, eam reipsa longè à se repellerent. Vita est brevissima; de hoc quotidie conquerimur; itaque mors longè abesse non potest. Interea semper eminus, veluti tubo optico longè sepositam spectamus. Atque hæc est causa, cur eam parùm in animos nostros possit. Iuvenis aliquis sua confidit juventute; ætate provectus virium suarum vigore; senex firma corporis constitutione. Sic cuivis, longiorem sibi vitam pollicendi, mortemque non timendi suppetunt rationes, quibus alij careant. O inauditam, quæ tamen pluribus illudit, deceptionem!

II. Vita certè brevissima est, quod atinet ad potissimam hominum partem: perspicuum est, plures infra, quàm post triginta annos mori. Et verò, si certò nobis constaret omnibus de vita longius producenda; quidnam denique hæc longior vita est? si eam consideramus habita ratione præsentium, videlicet negotiorum, quibus vacare; officiorum, quibus nos in-

for-

formare; eorum, quæ præstare debemus; Februarius
 consiliorum, quæ animo volvimus; scien-
 tiarum, quibus imbui cupimus; virtu-
 tum, quas acquirere nos oportet. Ah!
 quam brevis hæc vita videbitur; si eam
 consideramus habita ratione peccati, ad-
 huc longè esse breviorē judicabimus:
 sexaginta vitæ anni, ubi transierunt, ho-
 mini, qui hanc ætatem attingit, veluti mo-
 mentum, & omnia bona, quæ possedit,
 omnia oblectamenta, quibus gavifus est,
 veluti somnium videntur.

III. Si verò vitam consideramus habita
 ratione æternitatis, infinities adhuc bre-
 vior videbitur. Mille anni, inquit facez
 textus, non nisi Dies una sunt cum æter-
 nitate comparati. Quid igitur vita, lon-
 gissima licet, erit, nisi unica hora? Eheu!
 unica, & fors nec unica nobis est viven-
 dum hora! Nam quis est, qui tam diutur-
 nam sibi hanc vitam polliceri queat? nos
 tamen occupamur formandis ingentibus
 rerum agendarum idæis, coacervandis
 opum thesauris, idque eo mentis ar-
 dore & cupiditate, quasi æternum victu-
 ri essemus; nec cogitamus, nisi de sede in
 hoc mundo figenda in qua non nisi pauca
 momenta transigemus; & neque somia-
 mus de sede stabilienda in altera, ubi æter-

*Unus Dies
 apud Domi-
 num, sicut
 mille anni;
 & mille an-
 ni, sicut Dies
 unus. 2. Petri
 3. v. 8.*

Februarius. nūm morabimur ; unice intenti extruendæ domui infirmæ , quam unica nocte incolemus , domum verò æternitatis nostræ negligimus , quin & collabi sinimus. Quæ stultitia ?

Statuemus quamvis Diem considerare , velut eam , quæ ultima vitæ nostræ esse possit , & non considerare mortem ut rem longius à nobis remotam.

Breves Dies Hominis. Constituisti terminos ejus , qui præteriri non poterunt. *Job. 14. v. 4.*

Quotidie magis appropinquat recognitionis Dies ; omnis hora nos judicio applicat. *Euch.*

DIES VIII.

De Judicio extremo.

De Sublimitate & Majestate Judicis.

I.

Dies judicij dies Domini appellatur , quia , ut ait Propheta , *exaltabitur Dominus solus in die illa.* Ipse solus comparebit in gloria. Cum sol camparet , omnes stellæ videri desinunt : Sic ubi sol iste Justitiæ in solio tuo videbitur , tota gloria , tota sublimitas humana evanescet. Quot Reges ,

ges, quot populorum domitores, qui no-
men magnorum affectarunt, ab homini-
nibus adorati, sed à DEO sprete, & repro-
bati, opprobrium & rejectamentum eva-
dent mundi, cunctorumque mortalium
postremi? éstne hic ille, prorsus attoniti
dicent, quem ut nauci hominem tractatum
vidimus, & ignominijs coopertum, quem
ipsimet contempsimus, quem contumelijs
affecimus? En! Modó Rex est gloriæ,
Judex, & Dominus universi. Quanta mu-
tatio! Tunc reprobi cum electis certatim
clamabunt: *Tu solus Altissimus.* Ah! Do-
mine, nemo magnus est præter te, Et fa-
tebuntur, se nihil esse, DEúmque solum esse
omnia. Electi eum videbunt, & lætabun-
tur, & ob hoc magni erunt. Reprobi eum
videbunt, & in rabiem agentur; & per hoc
ipso nihilo evadent viliores. Felices pro-
fectó, si penitus in nihilum suum redire
possent; sed vel inviti subsistent, vitámque
servabunt, quantum opus erit, ut infinito-
rum scopus malorum in omnem æternita-
tem esse possint. En quó terminetur hu-
mana sublimitas. Mereturne hæc, ut ad
eam consequendam agamus tanta, tantá-
que patiamur, ut omnia, ipsámque animæ
nostræ salutem periculo exponamus?

Februarius

*Psal. 82. v.
19.*

*Peccator vi-
debit, & ira-
scetur. Ps.
111. v. 10.*

H 4

II. Hac

II. Hac die solus DEUS videbitur magnus potentia: *Cum potestate magna.* Reges illi adeo potentes, qui partem universi potestati, vel tyrānidi suæ subijcere, qui *potentes fuerunt in iniquitate*; qui potentia suā quā à DEO ad ipsius cultum augendum, amplificandumque accepere, non sunt usi, nisi ut eum offenderent, aliosque ad eum offendendum incitarent, in conspectu totius universi hac sua potestate exuti, ad æternam & universalem impotentiam redigentur, si non poterunt Potentiæ divinæ se subtrahere, nec ejus iram mitigare, aut vitare, nec ei se opponere. Verbo non poterunt, nisi pati, nisi ardere, nisi desperare. Funesta sanè potentia; ad quam reducitur abusus, quem Principes admisere, illius potestatis, quam ipsis DEUS velut sacrum depositum commisit? *Potentes isti potenter tormenta patientur, & fatebuntur, neminem præter DEUM potentem esse, sicut præter ipsum, nullus invenitur, qui justus sit. Solus potens.* Sed istis non ostendet potentiam Brachij sui, nisi gravitate ictuum, quos in ipsos vibrabit. Isti vires suas exseruere ad DEUM offendendum, & DEUS omne robur suum exseret ad eos puniendos.

III. Chri-

III. Christus solus hac die videbitur **Februarius**.
Magnus Sanctitate : Omnia opera, omnes virtutes humanæ, coram hac divina sanctitate evanescent; & quemadmodū ad Auroræ conspectū non tenebræ modò, sed omnis etiam e mentitæ, & subobscuræ lucis fulgor evanescit, sic ad conspectum Christi, omnes virtutes larvatae, quarum motivum erat superbia & mundi honor, omnia bona opera, quorum origo fuere naturæ imperus, propria cupiditas & commodum, inanis gloriæ studium, & hominum respectus, in nihilum ibunt. Christus, inquit Apostolus, unicum est fundamentum. Nulla virtus, nulla sanctitas, quæ ipso non innitur, subsistere potest. Illa palatia, quæ **I. Cor. 5.** videntur tam magnifica, neque tamen Christo fulciuntur, in ruinam concident. Ignis, qui universum destruet, ea veluti paleas in momento absument. Nihil præterquam aurum, hoc est, quod in Christo fundatur, subsistet. quàm multæ actiones, quæ nunc tantopere splendere videntur, quæ in oculis hominum lucent, ubi Sanctitati Christi, quæ unica & inflexibilis est regula, tunc applicabuntur, obscuræ apparebunt, injustæ apparebunt. Cur eas jam huic regulæ non applicas, ut rectæ evadant?

Februarius. *Statue non committere, ut excaceris à splendore sublimitatis hujus mundi ; sed persuasum tibi habeto, nihil magnum esse præter DEUM, vel id, quod ad DEUM refertur.*

Exaltabitur autem Dominus solus in die illa. *Isa. 2. v. 11.*

Qui hoc potuit moriturus, quid poterit regnaturus? *Aug.*

DIES IX.

De Inferno.

De pena Damni.

I.

PÆna damnatorum atrocissima est amissio & privatio DEI. Anima hominis capacitatis est infinita, nec ulla re, nisi DEO repleri potest, sed in hac vita mille rebus distinctur, quæ eam morantur. Instinctum habet, & propensionem violentam, quæ eam ad DEUM, velut summum suum bonum rapit, verum per innumeras creaturas, à quibus constringitur, ac retardatur, velut suspensus hæret. Idæam habet à natura sibi inditam pulchritudinis, & Majestatis DEI; sed hæc corporis pondere debilitatur, & sensuum suorum corruptione obfuscat. At ubi primùm anima
à cor-

a corpore suo separata, & ab his objectis **Februarius**
 amota fuerit, in horrenda se vacuitate de-
 prehendet, quam per unionem sui cum Deo
 replere volet. Cor ipsius omnibus bonis crea-
 turis, quibus affixum erat, solum ad supre-
 mum Bonum feretur eo impetu, cui compara-
 re nil potest. Velum, quod ipsam impedia-
 bat, quò minus DEUM cognosceret, amo-
 vebitur. Fascinatio Creaturarum, quæ
 eam incantabant, dissolvetur. Agnoscet,
 DEUM infinito amore esse dignum, nihil-
 que præter ipsum inveniri, quod eam red-
 dere felicem possit. Amplexari ipsum vo-
 let: Sed à manu non visibili & omnipoten-
 ti se repellere sentiet, quæ ei non minus,
 quàm David olim Absaloni dicet: *Faciem
 meam non videat.* Quantus tunc ipsius do-
 lor erit & desperatio!

II. Hæc anima à DEO separata motibus
 agitabitur prorsus contrariis, & violentis;
 DEUM infinite amabilem cognoscet.
 Amare proin ipsum volet, & non poterit;
 ipsum supremum bonum esse sentiet; &
 tamen eum possidere non valebit. Motus
 naturalis, & impetuolus eam ad hoc sumum
 feret; sed peccatum, quod in ipsa sedem
 fixit, eam inhibebit, DEUM possidere desi-
 derabit, quia cognoscet, se ab eo toto feli-
 citari posse; sed hoc desiderium, quia re-
 pul-

februarius. pullam tulit, in furorem vertetur, eamque incitabit, ut odio teneatur illius boni, quod amare vellet, & non potest, imò etiam destruere optet objectum, quod possidere vellet & non Potest. DEUS summum ejus bonum est, quam ob causam ipsum non desideret? Est ipsius inimicus, & persecutor, & cur ejus odio non flagret? cur ejus destructionem non cupiat? Ardentius id desiderare, quod quis nunquam possessurus est. Odisse id, quod semper desiderabit, est occupatio & supplicium damnatorum. Ah! Quàm tristis fors; an non hæc tibi obtinget?

III. Hæc igitur erit crudelis damnatorum occupatio, & tristis meditatio per omnem æternitatem: Ego DEUM perdidit infinitè amabilem, & quem semper odisse cogar: DEUM, qui me felicem redditurus erat, & jam æternum torquet. Eum perdidit meâ culpâ, perdidit eum ob unius momenti voluptatem. Eum perdidit in perpetuum, eumque perdendo omnia, & unâ me ipsum perdidit. Ah! Dicet cum infornato Absalone: Si videri à me non vult, interficiat me. Sed hoc incassum operabitur æquè, ac violenter. Ah! Nihili jam ducis per peccatum perdere DEUM: Olim in inferno senties, quid sit eum perdidit.

2. Reg. 14.
33.

didisse. Sponte tua ab eo te separasti in **Februarius**,
tempore, & vel invitus ab eo separatus
eris in æternitate. Hæc separatio nunc
delectationi tibi est, sed tunc extremi sup-
plicij erit loco.

*Statue potiùs omnia, quàm DEUM perdere, quia
perdendo DEUM omnia perdis.*

Voca nomen ejus non populus meus ;
quia vos non populus meus ; & ego non
ero vester. *Osee 1, v. 9.*

Ubi bene erit sine illo ? Aut quando esse
malè poterit cum illo ?

DIES X.

De cura Salutis.

Salus est negotium nostrum.

I.

Salus æterna nostrum est negotium ;
quod, si prosperum non habeat exitum,
omnis jactura in nos redundabit, nec ullus
in partem veniet. In negotijs lucri fera-
cibus, sed discrimini obnoxijis societates
contrahimus, præcautiones exigimus ;
minus habere lucri malumus, modo pericu-
lum incurramus minus ; cùmque alijs lu-
crum partimur, dummodo & jacturæ socios
habeamus. Verùm, ubi de animæ salute
agi-

agi-

Februarius, agitur, nec societas, nec cautio datur.
 Quivis periculum subire solus debet. Totum lucrum, totaque jactura ad ipsum pertinet; quivis sibimetipso ferit, & meret.

II. Probus iste vir, qui tanto salutis tuæ ardet Zelo, qui tot ejus gratiâ labores in se suscepit, qui illam velut proprium negotium curavit, partem habebit lucri, si res felicem sortita fuerit exitum; non item jacturæ tuæ particeps erit, si minus bene successerit, quin quod in detrimentum, & damnationem tibi cedit, ipsi lucrum & meritum pariet. Amicus iste, in cuius gratiam conscientiam tuam læsisti; filius iste, cujus commoda salutis tuæ prætulisti, quem animæ tuæ impendiō occupaveristi, exitij tui participes non erunt; vel si eandem, quam tu, miseriam incurrant, id circo, quòd injustitiæ fuere participes; poenæ tamen, quas ipsi dabunt, magnitudinem tuarum nequaquam imminuet.

III. Quid sentires de homine aliquo, qui, cum alacer & fervens esset in alterius negotio exigui momenti promovendo, penitus negligeret litem, in qua de omnibus ipsius bonis, atque ipsa mer vitâ ageretur? Hanc sanè agendi rationem stultitiæ argueret. Et nihilominus sic multi hominum agunt, qui magnopere sapere videntur.

dentur. Nonne & tu sic agis? Homo iste ^{Februarius} mortuus est, inquit, ingentes sibi opes comparavit, multa bona, & insigne officium familiae suae reliquit. O hominem industrium! Quam bene negotia tua administravit! Melius loquere: Hæc sunt negotia aliena, hæc sunt negotia liberorum ipsius. At suum negotium, Negotium salutis quæ tractavit? Tempus ei de hac cogitandi non suppetebat, mors improvisa eum prævertit. O hominem insigniter stultum! De alienis cogitavit, sui ipsius prorsus oblitus, & nugis ad se non pertinentibus intentus, suum unicum, & summi momenti negotium penitus neglexit. Familiae suae ad aliquot in mundo dies bene providit, & sedem pro omni æternitate sibi in inferno fixit. O hominem insanum! *Ille sapiens est, Eccli. 37.* inquit Spiritus, qui sapiens est animæ suae. Et qui animæ sapiens non est, stultus reputatur.

Statue salutis tuæ negotium omnibus alijs præferre, & nihil unquam agere, nec pro te, nec pro amicis tuis, nec pro liberis tuis, quod conscientiam tuam gravet, & salutis tuæ negotium periculo exponat.

Qui sibi nequam est, cui bonus? Eccli. 14. v. 5.

Sapientibus & insipientibus debitor factus es, & te tibi negas. Bern.

DIES

Februarius. (☉☉):(☉☉☉☉):(☉☉☉☉):(☉☉☉☉):(☉☉☉☉)

DIES XI.

De gravitate Peccati.

I.

SI invenire locum potes, ubi DEUS non sit, & ubi peccatum tuum ejus conspectui subtrahere possis, consentio, dicebat Sanctorum quidam infami cuiquam fœminæ, ut id committas, at ubi locum illum invenies?

Psal. 138. v. 2. Si ascendero in cælum, inquit Propheta, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Quid? Auderésne DEUM offendere, ubi præsens est? Auderésne abominationibus tuis contaminare oculos tam puros, qui cessare citius possent te videre, quàm iniquitates tuas tolerare? Auderésne turpissimum hoc facinus, non dicam coram viro honesto, sed vel coram domesticorum tuorum aliquo committere? éstne DEUS minore dignus reverentia? Scis, te à DEO videri, dum hoc peccatum perpetras; scis, eum infinitè illud odisse; & id committis? Scis, eum id æterno supplicio punire posse, eo ipso temporis puncto, quo id admittis; at non scis, an non id reapte punire velit; & id perpetrando non contremiscis? Quæ insolentia! Quæ temeritas!

II. Si

II. Si invenis momentum aliquod, quo *Februarius.*
DEUS tibi non benefaciat, eo momento
eum offendas, per me licet. At quia nec
unicum vitæ tuæ momentum est, quod non
pluribus beneficijs divinis insignitum sit,
qua fronte illud ingrati animi vitijs con-
spurcare audes? DEUM offendere, quanta
insolentia? DEUM offendere benefactorem
suum, quàm turpis beneficiorum oblivio?
Sed eum offendere illo ipso momento, quo
suis te beneficijs obruit; verba desunt,
quibus tanti sceleris gravitas expri-
mi queat. Verùm ex ipsa ejus patientia,
qua nos tolerat, ex ejus bonitate, qua nobis
parcit, incitamentum, vel ansam audaciæ
suæ sumeret. Possentne ipsimet dæmo-
nes eó malitiæ progredi? DEUS bonus
est: Ego igitur malus ero; is me tolerat,
is me exspectat; igitur impudenter eum
offendam. Quæ consequentia? Et tamen,
an non ego ipse millies hunc in modum
ratiocinatus sum, saltem mea vivendi ra-
tione?

III. Si actionem aliquam exercere potes,
cujus DEUS non sit particeps, aut motum
aliquem cordis excitare, vel actum intel-
lectûs elicere, qui ab ipso non oriatur, con-
cedo, ut hunc ad DEUM non dirigas: Si
nullus eorum est, cujus principium DEUS

I


non

Februarius. non sit, non exigo, ut ejusdem sit finis. At, si nec gressum movere, si nihil penitus agere potes, quin is saltem tecum agat, quin te adjuvet, quomodo ad patrandum peccatum ipsius concursu abuti audes? Visne quodammodo DEUM iniquitatum tuarum reddere vel complicem, vel ministrum? Ex ipsius potentia, & auxilio instrumenta cedis scelerum tuorum, & manum ejus omnipotentem, & beneficam ipsius met pectoti, ut ita dicam, transverberando adhibes. Quantus furor? Heu me! fateor Domine; sic ego millies tecum egi: idque cum summa mei confusione agnosco, & spero, dolorem, quem propterea concipio, mihi veniam obtenturum.

*Si occasio DEUM offendendi se offeret, dic tibi-
met ipsi: Quid? audebone offendere DEUM praesentem, & quidem illo ipso tempore, quo mihi benefaciat?*

*Servire me fecisti in peccatis tuis. Isa. 43.
7. 24.*

Idcirco tu deterior, quia DEUS melior, ut redundantia Clementiae coelestis libidinem faciat humanae temeritatis. Tertull.



DIES

DIES XII.
De Pœnitentia.

I.

Pœnitentia, ut bona sit, sincera esse debet:
 Ut sincera sit, severa esse debet. **DEUS**
 nobis peccata non condonat, nisi hac lege,
 ut ea nobis ipsi non condonemus: Vult
 quidem eorum oblivisci; sed nos eorum
 meminisse oportet. Nihil ea melius no-
 bis in memoriam revocat, quàm opera
 pœnitentiæ, quæ nos ipsi ad ea expianda
 suscipimus. Ut primum de peccatis ritè
 dolemus, **DEUS** nos odisse cessat, atque
 ideo culpa planè remissa est; at non etiam
 remissa est pœna; sed tantummodò mutata.
 Ante pœnitentiam pœnam æternam mere-
 bamur, post pœnitentiam pœnâ temporali
 contentus est, quæ prioris est compensatio,
 hujus pœnæ nos arbitros, & iudices consti-
 tuit: Si verò nostrum iudicium justo mi-
 tius est, ab eo ad iustitiam suam appellabit;
 quæ severa erit, ubi nobis nimirum indul-
 gentes sumus. Si igitur volumus, ut ipse
 nobis parcat, nobis ipsis non parcamus.

II. Si consideres pœnam temporalem,
 quæ tibi injungitur, vel quam tibi ipse

I 2

pœni-

Februarius, poenitentiae loco injungis, compensationem esse poenae cujusdam aeternae, in posterum tibi adeo indulgens non eris. An difficile tibi accidat denarium expendere, ubi decem tibi talentorum millia remittuntur? Si necessarium non est, ut aequalitas sit inter rem, per quam satisfit, & inter eam, pro qua satisfit, saltem proportio quaedam inveniri debet. Si a te non exigitur tantum, quantum debes, saltem tantum solve, quantum potes. Et sane; ane probe observas justas compensationis regulas, si pro poenis infinitis, quae tibi remittuntur, totius poenitentiae loco contentus es quibusdam precibus vocalibus tam exigua attentione persolutis, quae ipsa tua poenitentia novam praebet poenitentiae materiam? Si poenitentiam ad expianda peccata, quae poenas aeternas mererentur, unius vel duorum horarum spacio termines? Causa, cur in poenitentia tua tantopere tibi parcas, est, quod non satis concipias, quid sit poena aeterna, vel, quod non satis penetres, te illam promeritum fuisse.

III. Quis hac in re melius dirigere te potest, quam modus, quo DEUS usus est, dum ipsemet imponere voluit poenam temporalem, in qua poenitentia vitae consistit?

sistit ? Is Davidi ignoscit ; & nihilominus eum punit ; & quantam ei pœnitentiam non injungit ? David à proprio filio sede sua pellitur , à subditis suis deseritur , regno suo exiit . Sic tamen largiri veniam , sic benignè tractare dicitur : Quid futurum esset , si Deus ultionem sumeret ? An non Ecclesia Mater tam benigna , & charitate plena filijs suis , injunxit septem annorum pœnitentiam pro ijs peccatis , quæ hodie fragilitates humanæ censentur ? Sed quales pœnitentias ? Unica earum dies annus esse videretur ignaviæ nostræ . éstne peccatum minùs peccatum , quàm tunc fuerit ? éstne benignitas DEI minùs amabilis ? Ejus justitia minùs formidanda ? Sumùsne minùs Christiani ? Ita sanè ; minùs Christiani sumus ; & idcirco minùs pœnitentes sumus .

Si difficile tibi accidit , pœnitentijs , quas confessorius tibi injungit , vel Spiritus divinus tibi suggerit , te submittere , dicas tibi ipsi : Ecquid est hæc pœnitentia , si pœnitentiæ æternæ , quam meritùs sui , comparetur ?

Verè deliqui , & sicut dignus eram , non recepi . *Job 33. v. 27.*

Pœnitentia pro DEI indignatione fungitur , & pro temporali afflictione æterna supplicia non frustratur , sed expungit . *Tertull.*

DIES XIII.
De frequenti Confessione.

I.

SI non peccares, Confiteri non deberes; verum si frequenter peccas, frequenter confiteri te oportet. Cur ergo Confessionem tuam in aliud tempus reijcis? quò diutiùs eam differes, eò magis crescet eam differendi desiderium; pluresque, ut videtur, vitæ noxas delendi causas habebis. Quò diutiùs differes, eò magis peccatorum tuorum augebis numerum; & quod inde sequitur, difficilius tibi accidet eorum recordari. Si verò eorum oblivisceris, credisne, fore, ut DEUS eorum obliviscatur? credisne, fore, ut oblivio, quam evitare, vel prævertere potuisti, & quæ negligentia voluntaria, & flagitiosæ prolationis est effectus, coram DEO excuset? si hoc ita se haberet, plus non esset necessarium, quàm in frequeranda confessione negligentem esse, ad eam reddendam faciliorem.

II. éstne bona dispositio ad Confessionis sacramentum ritè obeundum; si hoc rariùs obeas? ánne opus quoddam bene facere

ccre

ere discimus, si id raro exercemus? *anne* Februarius.
bonam pœnitentiæ agendæ consuetudinem contrahes, si non nisi semel in anno vitæ noxas confessione deleas. éstne bona dispositio ad morbi curationem? semper differre remedium, eoque non uti, nisi morbo jam inveterato, & medelam vix non respuente? Credisne, difficultates ob hanc dilationem imminui, an non potius ingravescere vides? peccata radices agent, consuetudines roborabuntur, & voluntas debilitabitur. An non experientia tibi demonstrat, insigne medium esse in magna conscientia puritate vivendi, si multoties usurpes remedium, quod non nisi ad se purificandum fuit institutum. Si natura aliunde jam imbecillis malignis humoribus obruitur, remediorum virtuti subvenire vix potest.


III. Si conscientiam tuam peccato mortali oneratam sentis, cur non actutum hoc onus excutere laboras? Valde enim id grave est, cum ejus ponderi Deus ipse succubuerit. Valde funestum est; cum ejus Centrum sit Infernus, quod continuo tendit & quod certo te secum trahet, si eo te non exoneris. Si longo tempore in peccato tuo perseveras, familiaritatem cum eo contrahes, quâ periculosius nihil est. Quò

Februarius, enim diutiùs id tibi vicinum est, eò familiarior eidem evades, adeò, ut illud sine horrore intuearis, & sine difficultate toleres, imò tunc demum eo te liberandi difficultatem experiaris. Præterea peccatum, dum animam tuam occidit, te incapacem reddit, aliquid boni ad vitam æternam consequendam præstandi. Omnia opera, quantumvis bona videntur mortua sunt, & nullius meriti ad salutem obrinendam. Quanta jactura! Quot bona opera in hoc statu facis, totidem æternitates beatas perdis. Quanta infelicitas, tantas jacturas facere! sed quantò adhuc major infelicitas, ijs non moveri! nec alibi laborare, ut eas prævertas!

Statue, nunquam diu in peccato mortali vivere, sed potius, ut primum potes, per veram Confessionem eo te exonerare.

Ante mortem confitere; à mortuo, quasi nihil perit confessio. *Eccli 17. v. 26.*

Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus; damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus. *Aug.*



DIES

DIES XIV.

De scandalo.

I.

Væ mundo à scandalis, inquit servator;
Væ homini, per quem scandalum venit!
Hac maledictione Christus impetit eos, qui
 pernicioso exemplo proximum offendunt.
 Quantum igitur scelus esse oportet, quod
 Deus servator tam terribili supplicio pu-
 nit? *qui scandalizaverit unum de pusillis istis,*
qui in me credunt, expedit ei, ut suspen-
datur mola Asinaria in collo ejus, & demerga-
tur in profundum maris. Status hominis, qui
 pravo alios offendit exemplo, funestissimus
 sit; necesse est; quando quidem tam grave
 supplicium, ipsius Christi judicio, illi pro-
 ficuum esse censeretur, idcirco, quòd eum
 impediatur, quòd minùs is in posterum pra-
 vo suo exemplo alijs nocere possit. In-
 gens malum est oculo privari, & nihilo-
 minus malum nobis esse desinit; imò juxta
 mentem Christi in bonum convertitur, si
 impediatur, quòd minùs ille nobis offendicu-
 lo sit, nòsque ad peccatum inducat. Quan-
 tum igitur malum erit, ad quod averten-
 dum medicina adeò violenta suavis videri
 debet?

I 5

II. S;

Februarius.

II. Si proximo tuo aureum surripuisti, spem salutis adipiscendæ habere non potes, nisi eum restituas. Proximo tuo eripuisti suam innocentiam, puritatem, charitatem, gratiam DEI, & unâ cælum; qua ratione injuriam ei illatam sarcies? quâ veniam sperare, quâ ad æternam salutem aspirare potes, nisi hoc facias? jam verò Christo rapuisti animas ei tam charas, quæ omni ei sanguine sterere; quàm graviter is hanc injuriam feret? an ullam ab eo gratiam sperare potes, nisi tantum ei damnum & jacturam præstiteris. Ingens gaudium, quod servator præsefert de recuperata, quæ aberraverat, ovicula, ansam tibi præbet, de ipsius dolore ob hanc jacturam, ferendi judicium. Credisne futurum, ut DEUS impunitam dimittat injuriam, quæ tantopere ei dolet? vel potius; potesne dubitare, quin vindictas dolori æquales sumpturus sit ab ijs, qui hujus jacturæ sunt authores? & si istius te reum nōsti, quâ frui ulla quiete potes? cur igitur tam parum laboras DEO satisfacere, eumque mitigare?

Vox sanguinis fratris
sui Abel
clamat ad
me Gen 4.

III. An non causam habes timendi, ne tibi æquæ ac olim Caino, dicat: sanguis miseri hujus Abelis, hujus infantis, tui ac mei fratris, quem decepisti, quem occidi-

sti, auferens ei cum puritate vitam gratiæ, ad me clamat, & vindictam à te lumen- dam petit; possúmne eam ipsi negare: red- de mihi rationem sanguinis hujus inno- centis, quem jugulásti, vel potius, mei, quem prophanásti, cujus virtutem inuti- lem reddidisti: Tu voluisti ostendere, te ma- jore potestate pollere animas damnandi, quam ego habeam, eas ad salutem æternam perducendi. Quid ad has exprobrationes re- spondebis? Ah! DEUS ipse non putavit se nimiùm facere, dum sanguinem, & vi- tam suam immolavit ad servandam ani- mam; & nos vel minimam cupiditatem immolare nolumus ad sempiternam eius perniciem impediendam. DEUS chari- tatis victimam se obtulit, ut eam ab æter- no Vindicaret interitu; & Christianus eam victimam facit, bruti sui facinoris ut æternas ei misérias invehat. Potéstne hic ad Christi merita posthac adspirare, dum eorum virtutem reddit inutilem?

*sanguinem
ejusdē manu
tuæ requi-
ram Ezech.
3. v. 60.*


Inquire, an non alicui fueris occasio offendi- culi, & statue quantocys id reparare.

Væ mundo à scandalis. *Matt. 18. o. 7.*

Quantiscunque exemplum malæ Con- versationis præbuit, pro tantis se malis noverit, rationem esse redditurum. *Aug.*

DIES

Februarius.



DIES XV.

De inani gloria.

I.

UT primùm placere DEO cupio, ei certissimè placeo: si verò hominibus placere desidero, non semper eis placeo: Ut me aestimare & laudare recusent, non rarò satis est, me ad eorum aestimationem, laudemque captandam aliquid agere: ut primùm ostendo, me ab ipsis aestimari velle, me contemunt. è contrario, si nihil desidero, nec quæro, quàm soli DEO probari, & magni fieri, voti mei compos semper fio. Sed denique, si laudes hominum aucuparer, possèrne eas obtinere, quin decipi vellem, cùm sciam, quàm parùm eæ sinceræ sint? quoties ego ipse homines, renitente verò animi meifensu, laudavi? quoties verbis meis approbare visus sum, quæ mente improbam? rectè proin, atque ordine iudicemus, & credamus, nos ab alijs decipi, dum nobis adulantur quemadmodum nos alios decepimus. In hisce officiosis mendacijs, veluti cardinibus, volvitur totius mundi commercium; quivis alterum ludificare

ni-

nititur: qui hanc artem melius callent, Februarius, omnium optimi censentur.

II. Sed denique, licet hominum laudes essent sinceræ, & à verâ æstimatione provenirent, forèntne magni faciendæ? si qui me æstimant, & alij aspernantur; contentus non sum, & quis omnibus placere potest? solus Mardocheus, qui Amanum contemnit ab omnibus alijs adoratum, eum ad desperationem usque affligit. Si multitudo me æstimaret, quid est multitudo, nisi colluvies hominum imprudentum, vel cæcorum, vel mutabilium, & inconstantium? facitne eorum opinio me feliciorè & meliorè, an non potiùs deteriorè, si eâ nimium delector? quid mihi proderit, quòd alij me æstimant, si ego ipse vel invitus coram tribunali conscientiæ meæ condemnare me cogor? & quid mihi prodesset, si pro me sententiam ferrem, cum DEUS me condemnat, & re-

*Si adhuc
hominibus
placere
Christi ser-
vus non esse.
Gal. 1. v. 10.*

III. Ut DEO displiceam, satis est, velle hominibus placere in bono, quod ago. Cavete, inquit Servator, ne opera vestra bona faciatis ad comparandam vobis æstimatio-

*Matth. 6.
v. 1*

nem

Februarius. nem, laudémque hominum: Nam, ut primùm hanc mercedem habere desideratis, penitus illam perditis, quam à Deo exspectare possitis. Honorem vanum, & prætervolantem gloriæ æternùm duraturæ præhabes; regnum pro pomo cedis: Quæ stultitia? Infelix ille Princeps, qui regnum suum pro aquæ vitro donavit, commiseratione magis, quàm viruperio dignus erat. Is adeò siti ardebat, ut crederet, se regnum cum vita perditurum: Maluit proin saltem vitam servare; quid prudentius? Sed quid stultum magis, quàm remunerationi æternæ, & infinitæ, quàm bonis nostris operibus promereri possumus, renuntiare, ut consequamur mercedem adeò vanam, adeò incertam, & frivolam, qualis est ab hominibus æstimari? Hoc sanè est multum laboris subire sine commodo, multa mala perpeti sine merito, multa bona præstare sine fructu, ac denique è materia remunerationis instrumenta supplicij sibi fabricari. At hoc agit inania gloriæ cupido. Quid perniciosius?

Statue, non tantùm existimationem, & laudes hominum non quærere, sed eas etiam formidare, & ab eis veluti veneno tibi cavere tantò periculo fiore, quantò gratiore.

Atten.

Attendite, ne iustitiam vestram faciatis **Februarius.**
coram hominibus, ut videamini ab eis;
alioquin mercedem non habebitis apud Pa-
trem vestrum, qui in caelis est. *Matt. 6. v. 1.*

Sic autem sit opus in publico, quatenus
intentio maneat in occulto. *Greg.*

DIES XVI.

De cognitione sui ipsius.

I.

T*u quis es ?* O importunam amoris sui
ipsum quaestionem ! Quantopere haec
arrogantiam nostram comprimit ! *Tu quis
es ?* Quot causas, nos submissè gerendi
paucis haec verba continent ? Dum nos
compellunt in nos ipsos descendere ; qua-
les ibi miseriae ea nobis non detegunt, si
oculos eis claudere, vel nos ipsos nobis ce-
lare non velimus ? *Tu quis es ?* Quid inspi-
rare tibi arrogantiam potest ? An forsitan
origo tua ? Aliam non habes, quam nihi-
lum. An conceptio tua ? Haec non est, nisi
peccatum. An nativitas tua ? Haec est
verum supplicium ; non enim mundum
ingrederis, nisi patiendo. An vita tua ?
Haec est continua imbecillitatum, & mise-
riarum series. An mors tua ? Haec est
fatalis necessitas, quae corpus tuum in pul-

Februarius. veres convertit, & animam tuam in statum æternitatis ablegat, quin tibi polliceri possis, eum non infinite tibi infelicem fore. Inveniturne in his omnibus aliquid, quo superbiam tuam fulcire queas?

II. *Tu quis es?* Quid te ad superbiam incitate potest? Num intellectus, qui à bestijs te discernit? Ah! Quàm is est debilis, quàm obcæcatus! Hic, cùm factus sit ad subigendas animi commotiones, quoties eorum mancipium est? An Ingenij tui perspicacia, quæ à fæce hominum te distinguit? At, quàm multos invenies inter eos, qui ingenio te superant? Quantas in eo deprehendes imbecillitates, nisi tibi ipse aduleris? An naturæ tuæ dotes? Hæc venustas, hoc robur, hæc solertia? An hæc naturæ dona tibi ipse dedisti? Quantopere ijs abusus es? An non hæc ipsa sunt justissimæ timendi, réque demittendi causæ? An scientia tua? At quàm modica hæc est! Quàm multi sapientes haberi possent, modò sciunt ea, quæ tu ignoras? Quàm incerta hæc est? Sæpe aliud te non docet, quàm nonnihil prudentiùs dubitare. At quoties ea inutilis est? Omnia sciuntur, exceptis ijs, quæ sciri debent unice, ars videlicet Deo placendi. An sublimitas dignitatis tuæ? Verùm hæc ad aliud non servit, quàm
ad

ad defectus tuos omnibus manifestandos, *Februarius.*
& vilitatem meritorum tuorum clariùs
demonstrandam. An magni nominis fa-
ma, quam tibi comparâsti? Hæc, cum in-
geniorum vilium & cæcorum nitatur ju-
dicio, quàm parùm, justa est? Quàm parùm
solida est? Et cum ab hominum inconstan-
tia, & levitate pendeat, quàm parùm sibi
constat?

III. Tu quis es? An divitiæ superbum
te reddunt? An eæ meritum tibi conciliant?
An felicior, melioremve te efficiunt?
An non frequenter sunt fructus, occasio,
& materia scelerum tuorum? Atque hanc
ipsam ob rationem, te submissè gerendi
tibi causam præbent? An dignitas & ex-
cellentia tua? At alia non est præter eam,
quæ meritis & virtute nititur. Nanus
aliquis super columna positus semper nanus
est; ij, qui omnium videntur maximi, plu-
rimis indigent. Exhaustiri Provinciæ
debent ad eos juvandos. Quanta indigen-
tia! An potentia tua? Custodiæ, quæ
Principem cingunt, arma, quæ eundem
defendunt, non faciunt, ut de se plus vi-
rium, & potentiæ habeat; sed ostendunt
solummodo, ei majori opus esse adminiculo,
ad sublimitatem suam sustentandam, plu-
ribusque brachijs ad eam defendendam,

K

An

Februarius. An virtus tua? Nullam habes, ut primum superbia intumescis; aut certè eam perdis, ubi immoderatè de ea tibi blandiris. Ubi nam igitur superbia tua sedem figere tutò potest, nisi in corde & animo penitus excæcato?

Frequenter temetipsum interroga, tu quis es? Verùm ut ad hoc respondeas, non philautiam, sed rationem & fidem tuam consule.

Tu quis es? Jo. c. i. v. 19.

Qui putant, se aliquid habere, superbiendo non accipiunt, quod adest, qui magnum putant esse, quod deest. *Aug.*

DIES XVII.

De peccato Libidinis,

I.

Peccatum libidinis imbecillitati adscribitur; & proin hominum cœcitati leve quid esse videtur; cùm tamen pauca sint peccata in se ipsis graviora, nec ullum in effectibus magis noxium. anne peccatum leve censendum, quod unicum ferè ob materiæ levitatem hominem à peccato mortali non excusat? De peccato libidinis sentiendum, quod de igne, qui non modica infert damna. Imò hoc funestius, quam
ignis

ignis habet, quòd, quò plura & majora affert **Februarius.**
 incommoda, eò minus ea sentiantur, &
 quod inde sequitur, difficilius avertantur.

Est fermentum illud, quod, cùm nihil esse
 videatur, omnia tamen acida reddit, &
 corrumpit. Malum, quod progignit, si-
 mile est ictui serpentis, qui sensu vix perci-
 pitur, & tamen in momento venenum suum
 per totum corpus diffundit, atque ad cor
 usque penetrat, eique lethalem ictum infli-
 git. Si serpentem hunc non fugis, fieri ne
 potest, ut non lædaris? Et hunc si non ti-
 mes, an non perire mereris?

*Mod. cū fer-
 mentum to-
 tam massam
 corrumpit.
 Gal. 5. v. 9.*

II. Verum est, peccatum libidinis in
 seipso gravissimum non esse, in effectibus
 tamen suis perniciosissimum est. Novit
 id infelici sæcunditate se se multiplicare;
 & fons potissimorum, juxta ac gravissimo-
 rum scelerum, quæ orbem Christianum
 affligunt, dici meretur. Confessiones, &
 Communiones sacrilegæ, scandala in
 civitatibus, discordiæ in familijs, obrecta-
 tiones, & calumniæ atrocissimæ, jurgia,
 homicidia, parricidia, intoxicatæ potiones,
 abortus, desperationes, quæ tot homines
 huic vitio mancipatos impellunt ad cau-
 sam, fructumque hujus sceleris graviore
 flagitio tollendum, prophanationes abomi-
 nandæ rerum sanctissimarum, partus sunt

Februarius. potissimus hujus peccati, quod tamen nugis annumeratur, & humanae debilitati adscribitur. Verum an non caecitas adeo horrenda unus est è funestissimis infelicis istius peccati effectibus? Heu me! An non exiguus horror, quem experiris, ab hoc peccato, argumentum est, te hac caecitate magnopere laborare? & tamen peccatum, hujus caecitatis causam, non abominaris?

III. Verum, unde certius hujus peccati gravitatem cognoscere possumus, quam ex ipsius DEI judicio? Homines hoc vitium considerant, ut peccatum venia dignum. Sed non ita res se habet, cum DEUS id rarius condonaret, quam severe puniret. Vindictae gravissimae, quas DEUS ab hominibus expetit, scopum sibi infelix hoc flagitium praefixere. Aquae diluvij, omnem terram, ut sacra scriptura loquitur, non inundarunt, nisi ad extinguendum ignem, quem immoderatum libidinis vitium in omnium cordibus accenderat. Flammæ de caelo super infames illas civitates delapsae non fuere, nisi ad abolenda etiam minima abominandae eorum impuritatis vestigia; Plus quam viginti quatuor Israëitarum millia, quos DEUS interimi jussit, ut proprio sanguine libidines suas eluerent; mors

VIQ.

*Omnia qui-
pe caro cor-
ruperat via
suam. Gen
6. v. 12.*

violenta & subita Onanis ; flagella, quibus Februarius.

DEUS ob unicum adulterium Davidem castigavit ! tot animæ Christi sanguine redemptæ, quas DEUS ob solum luxuriæ peccatum quotidie ad inferorum flammâs præcipitat, satis ostendunt, ei leve non esse peccatum, de quo, quantumvis misericors sit, tam horrendas sumit pœnas : Atquæ hæc abunde nobis demonstrant, iudicium DEI à iudicio hominum penitus esse diversum. Utri horum assentiri nos oportet ? Quid sentis ?

Roga DEUM, ut ingentem tibi hujus peccati horrorem iniiciat ; & magnam id evitandi cautionem adhibe.

Ingreditur blandè ; sed in novissimo mordebit, ut coluber. *Prov. 6. v. 32.*

O quàm lugenda perversitas, ut animam, quam Christus suo sanguine redemit, propter unius momenti delectationem diabolo vendat. *Aug. serm. 350.*

DIES XVIII.

De fuga Occasionum.

I.

Licet dæmon, formidandus sit hostis ; tantus tamen non est, quantum nobis

K 3

eum

Februarius. eum imaginamur. Is cor nostrum non nisi forinsecus aggredi potest; cum id sanctuarium quoddam sit, ad quod penetrare non potest, nisi ipsimet illum eò introducamus. Canis est ligatus, qui allatrare quidem, sed mordere, nisi accedentes ad se non potest. Visibilis non est; & tentationes nostræ periculosæ oriuntur è rebus, quæ sensibus nostris obijciuntur. ipsimet ei suppeditamus arma, quibus nos aggrediatur: Robur suum imbecillitati, vel potius temeritati, nostræ debet, & levitati, qua nos in occasiones conijcimus. Minus igitur temerarij simus, tum ipse debilior, & nos fortiores evademus: Non multum contra nos efficeret, si non ipsimet ultro nos ei committeremus, dum peccandi periculis nos exponimus.

II. Cor nostrum arx quodammodo est à diabolo obsessa; sed non tam vi, quam fraude occupanda, vel clandestinis, quæ in hac arce reperit, commercijs. Hujusmodi commercia sunt cupiditates nostræ, quas ipse captare nititur proprii cujusdam commodi intuitu, vel voluptatis illicio, honorisve splendore. Cæterum hæc objecta, si à nobis remota sunt, exigua in nos vi pollent, verum occasio ea nobis præsentia sistit; simulque potentia & apta reddit
ad

ad sensus & animi nostri affectiones commovendas, & occupandas. Commotæ verò, & jam occupatæ animi affectiones rationem pervertunt, voluntatem rapiunt; quæ ipsamet hosti suo se ultrò tradit, ejusq; imperio submittit. Quapropter D. Paulus eas appellat stimulum carnis, nuntios seu legatos diaboli, qui cum corde nostro negotiantur, ut consilijs ipsius consentiat, quæ in illius interitum concepit. Nuntij sanè perniciosi, qui dæmonis causa probè agunt; nostram verò evertunt, & nihilominus eos audimus, eisque moram gerimus.

stimulus carnis Angelus sathan 2 Cor. 12 v. 7.

III. Tales plerumque sumus, quales sunt res, vel personæ, inter quas versamur. Boni sumus, si illæ bonæ sint; mali, si illæ malæ. Ratio est, quod objecta cogitationes nostras excitent; cogitationes nostra desideria, desideria nostros amores; amor denique vitia aut virtutes generet. Objecta magna semper vi in cor, & animum nostrum pollent sive per se ipsa, sive per sui duntaxat imagines nos aggrediantur. Cæterum vis longè vehementior est, si per se ipsa nos invadunt; cum præsentia sunt; quis verò ea nobis præsentia sistit, nisi occasiones? Fugiamus igitur peccati occasionem, si evitare peccatum velimus. Hoc est medium facillimum, & tutissimum.

Februarius. Deus probè consuluit imbecillitati vel ignavia nostræ, dum salutem aut victoriam è timore, & cautione nostra, & non è resistantia, vel animi magnitudine pendere voluit. Timeamus proinde; tum securi erimus; timeamus, tum victoriam reportabimus. Si posthac vincamur, in quem, nisi in nos ipsos, nostramque temeritatem referre culpam possumus?

Statue omnes peccandi occasiones fugere, præsertim illos, quas tibi periculosiores esse nôsti.

Fugite, & salvate animas vestras. *Jerem. 48. v. 6.*

Maxima providentiæ compendia, quod victoria fiat per fugam & timorem. *Cyprianus.*

DIES XIX. De Tepore.

I.

Status teporis Status periculosissimus est. Is non rarè in discrimen nos conijcit eò deveniendi; ut justitiæ DEI fiamus scopus; dum nos impellit, ut Consilijs, quæ ejusdem Misericordia de nobis concepit, resistamus. Sunt homines, quos DEUS singulari amoris affectu, providentiæque dignatur; homines, qui ad virtutem nari bonam

nam

nam animam, cor bonum, indolem forti-
ti multis gratijs præveniuntur, vivacibus
& assiduis conscientiae stimulis minimorū
etiam defectuum admonentur. Homines
hujusmodi medium fere non tenent, vel
enim toti DEI esse debent, vel DEI penitus
non erunt: si sancti non sunt, in periculo
reprobationis versantur. Christus Do-
minus nec ipsis parcat Apostolis; dum cla-
rè ejs indicat, eos, nisi humilitatem par-
vulorum, eamque profundam habeant,
salutem æternam sperare non posse. Non
licet ipsis esse mediocribus. Forfan hanc
ipsam ob causam factū est, ut Iudas ex Apo-
stolo fieret Apostata. Sancta Theresia lo-
cum vidit, in inferno sibi destinatum, nisi
recessisset à statu socordiae & infidelitatis,
in quo aliquamdiu hæsit; mediocrem esse,
concessum ei non erat. Magnæ gratiæ,
quibus DEUS te ornavit, pulchræ dispositio-
nes, quibus te ad virtutem consequendam
beavit; an non satis testantur, eum de te
peculiaris bonitatis consilia concepisse? an
non tepor & ignavia tua ostendunt, te ejs
resistere?

II. Status Teporis periculosus est, id
circo, quòd, sit status cæcitatatis, quæ pro-
venit è delictis venialibus à nobis frequen-
tatis, è dissipatione mentis, in qua vivimus,

K 5

&

Februarius. & affectu nobis dominante, nosque exca-
 cante in omnibus peccatis, quæ nos affi-
 git. Unde fit, ut falsum conscientiæ di-
 ctamen formemus, quò delicta satis gra-
 via tanquam levia nobis proponit: viru-
 lentas similitates, antipathiam, vel remif-
 siorem amoris affectum interpretemur,
 crudeles detractiones facerij, sceleratas
 murmurationes justis querimonijs, oblecta-
 tiones periculosas innocentibus animi re-
 missionibus, amores inordinatas honestis
 amicitijs, libertates flagitiosas nugis accen-
 seamus. Vitam totam inutiliter consum-
 tam, vanam nostri ipsorū ad idololatriam
 usque æstimationem, secretam inanis glo-
 riolæ cupiditatem, quæ venenum suum in
 omnes vitæ nostræ actiones diffundit; ig-
 norantiam affectatam in rebus summi mo-
 menti, curam subducendi nos perito dire-
 ctori, qui nos de illis informet, quasi ni-
 hilum reputemus. Neque peccata tam
 gravia ut hæc sunt, censeamus in Confes-
 sione aperienda, neque impedimenta esse,
 quò minus ad SS. Sacramenta accedere pos-
 simus; ut proin hæc sine animi anxietate
 prophanentur. Unde oritur tam inaudi-
 ta agendi ratio? è cæcitate. Unde hæc
 cæcitas? è Tepore.

III. Status teporis periculofus est, quia *Februarius*, quodam modo infanabilis. Facilius est magnum peccatorem, quàm hominem cætera probum, at tepidè religiosum ad bonam frugem reducere. Quemadmodum anima quædam tepida cæca est, sic nec malum suum cognoscit: unde nec ad remedia confugit, similis hominibus languore fractis, qui partem unam habent nobilem, sed sensu verè destitutam, morbóque oppressam. hi, quia non multum doloris sentiunt, & eadem fermè opera exercent, quæ illi, qui optimi valent, non adeò ægros esse se credunt, remedia negligunt, & tumulto mandantur priùs fere, quàm se ægros esse senserint. Sic homines tepidi bona quædam opera faciunt; cùmque graviora delicta non perpetrent; sed alia, quæ, cùm tam enormia esse non videantur; malo, cujus effectus ignorant, non quærunt remedium. Et licet hi effectus ipsis essent perspecti, inutilitas tamen remediorum, quibus hætenus usi fuère, desiderium ipsis eriperet illa adhibendi. Et quamvis ea adhiberent remedia, quibus jam assuevère; remedia ipsis ampliùs non forent, nec magnum effectum sortirentur. An non tu ipse propria id experientia nosti?

Pre-

Februarius. *Precare DEUM, ut agnoscere te doceat pericula statûs teporis, ut statuas vel ab eo tibi cavere, si eo non es irretitus; vel ex eo teeripere, si hæcenus in eo hæsisti.*

Utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

Apoc. 3. v. 15.

De frigidis & carnalibus ad spiritualem venisse fervorem vidimus; de tepidis omnino non vidimus. *Cassian.*

DIES XX.

De peccato Veniali.

Id ducit ad Mortale.

I.

Nemo fit repentè pessimus. Pauci sunt, qui primo congressu peccatum non horreant: Non illico, nec nisi gradatim in id labimur. Quantacunque corruptione labe originaria cor nostrum infecerit, & quantacunque immoderationem in animum nostrum invexerit, remansère tamen in eo reliquiæ quædam, ac semina rationis, & æquitatis, quæ nos identidem excitant ad condemnanda gravia in alijs flagitia; dùmque eorundem horrorem nobis

bis inspirant, timorem ea committendi in-
ijciunt. Verùm, ubi in consuetudinem
nos immergimus peccati venialis, quod
semper convenientiam quandam cum mor-
tali habet, pederentim etiam erga hoc, ut
ita dicam, cicuramur; ac primò minorem
horrorem erga id sentimus, postea verò mi-
nùs id formidamus, tum in alijs sine magna
indignatione, & horrore spectare assuesci-
mus, nec amplius id, ut rem adedò horren-
dam averfamur; imò etiam gratum quid
in eo advertimus: denique eò usque pro-
gredimur, ut id absque difficultate, quin
& cum gaudio ipsimet committamus. En
gradus! per quos in præcipitium devol-
vimur. An non in id decidisti? si hoc est,
an denuò ex eo emerfisti?

II. Peccatum Veniale non est quidem
aberratio à fine ultimo, est tamen deflexio
quædam. à frequentioribus flexibus eò
tandem devenimus, ut aberremus penitus.
Non est quidem abalienatio à DEO; sed te-
por, qui ad abalienationem sternit viam;
dum negligere DEUM assuescimus, uti per
peccatum veniale contingit, eò denique
delabimur, ut eum contemnamus, si quid
sincerè amamus, non derepente ad ejus-
dem odium progredimur: verùm, ubi pa-
tùm amamus, facilè in amore languesci-
mus

Februarius, mus. Languor iste non multum à tepore abest, nec tepor ab odio vel contempu. Distractio voluntaria in precibus nihil esse nobis videtur: non rarò tamen cogitationis pravæ, desiderij flagitiosi causa est, vel occasio; flagitiosum desiderium peccati mortalis, & peccatum mortale causa æternæ damnationis. Si hoc tecum reputares, contemnerésne tantopere voluntariam in oratione mentis evagationem, vel quodcunque aliud parvum delictum?

III. Quantumcunque innocens & bonus videatur amor, quo quis in personam aliquam fertur; si tamen paulò vehementior est, sensim in purè humanum declinat, nisi quis sibi ipsi perpetuò invigilet: Deus non amplius est ipsius motivum: sola ratio, non verò gratia est hujus affectûs regula; ab humano facillè transitur ad naturalem, à naturali ad teneriorem, à teneriori ad sensui blandientem, ab hoc denique ad impurum, hoc est, flagitiosum. Quemadmodum gradatim, & sensim sine sensu delabimur, sic casum nostrum ferè non advertimus, neque nos cecidisse sentimus; nisi ubi tam profunda in abyssò nos deprehendimus, ut inde emergere non facillè possimus. Eheu! an non & ego in tam misero statu versor, quin tamen id sentiam

tiam; vel saltem in periculo quantocyus **Februarius.**
in eum decidendi, quin advertam: noli
Domine hoc permittere; sed illumina &
sustenta me, ut mihi à tanta infelicitate
caveam.

*Statue peccatum veniale, quantum poteris,
vitare; hoc enim medium præsentissimum est, se
à mortali defendendi.*

Qui spernit modica, paulatim decidet.
Eccli. 19. v. 1.

A minimis incipiunt, qui in maxima
proruunt. Bern.

DIES XXI.

Derebus adversis.

*Res adversæ signa sunt Amoris Dei er-
ga nos.*

I.

EA, quæ nos misérias, & infortunia di-
cimus, non rarò beneficia DEI sunt.
Quæ veluti pænas, & iræ Divinæ effectus
horremus, sæpe DEI sunt erga nos mani-
festissima teneri amoris testimonia. Et
verò res adversæ docent nos in nos ipsos
descendere, ubi deprehendimus, nos fo-
rinfecus optatis non potiri. Eæ nos hu-
miles reddunt, & à nobismetipsis abalie-
nant

Februarius. nant? quî enim nobis blandiamur, dum nos ubique abjectos, & contemptos videmus? hæ nos abalienant á mundo, quis enim se addicat proditori tam perfido, qui post tot splendida promissa nos deserit? eæ nos abalienant â peccato, quia fides, quæ tunc quodammodo reviviscit, clarè nobis demonstrat, ærumnas nostras peccatorum nostrorum partus & supplicia esse. An non hoc Argumentum est, nos â DEO amari, dum is tantis nos bonis ditat? an non signum est, nos â DEO amari, dum nobis ansam præbet, nostrum sibi amorem testandi, suumque vicissim in nos promerendi? Omnia alia amoris in DEUM specimina dubia & suspecta sunt; hoc solum decipere nos non potest, DEUM non nisi in prosperis amare, eique servire, est eum amare & servire more Judæorum: Eum amare, eique servire in adversis, est eum amare, & servire more Christianorum. ^{es}ne Judæus? ^{es}ne Christianus?

II. Nónne signum est, nos â DEO amari, dum is nobis media suppeditat justitiæ divinæ, ea, quæ debemus persolvere? quantum enim, peccatores cum sumus, ei non debemus? iram ejus mitigandi, ejus misericordiam impetrandi? satisfacere justitiæ divinæ non possemus, nisi

nisi ipse eidem satisfaciendi media, nobis Februarius ministraret. Atque hoc agit, dum adversa nobis immittit: nam quæ debita expungere non possunt res adversæ ærumnis Christi unitæ? an non Argumentum est divini in nos amoris, dum nobis media præbet, virtutes adipiscendi, & occasiones easdem exercendi? nam fieri potest, ut quis virtutes acquirat, quin eas exerceat? an verò melius exercere patientiam, mansuetudinem, mortificationem, humilitatem Christianam, charitatem, accommodationem voluntatis nostræ ad divinam possumus, quàm in adversis? adversæ res media simul adipiscendi virtutes efficacissima sunt, signaque certissima, eas veras esse, & Argumenta fortissima, eas esse solidas. Itaque adversis immunem se reddere velle, an non tantum est, ac virtutibus renuntiare? quid igitur sentiendum de inaudito horrore, quo calamitates averfatis?

III. Annon signum est, nos à DEO amari, cum is nos capaces reddit similitudinis cum Christo Cruci affixo acquirendæ, ut eadem olim cum Christo glorioso portiamur? an non signum amoris est, dum media, prædestinationem nostram certam reddendi, ejusdemque indubitata pignora,

L

&

Februarius. & manifesta indicia nobis præbet? an non signum amoris est, dum occasiones nobis subministrat, grandia congerendi merita, coronam nostram augendi, Cælum obtinendi, novos gloriæ gradus, hoc est, tot æternitates felicitatis infinitæ promerendi, quot vitæ nostra numeramus momenta DEO per calamitates consecrata? potestne igitur DEUS sinceritatem, & magnitudinem Amoris sui clariùs nobis testificari? possimusne etiam nos ingratum nostrum animum manifestiùs prodere quàm si ex hisce maximis ipsius beneficijs, fastidij concipiendi, & in querimonias erumpendi ansam sumamus? an non probè meremur, ut pænas à nobis expetiturus, illis nos prioret, atque ad nos puniendos nobis pateat?

Precare DEUM, ut, cum immittendo tibi adversa amorem suum testetur, hujus amoris addat complementum, demonstrando tibi felicitatem, quæ in adversis invenitur, ut ea amare queas.

Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te. *Tob. 12. v. 13.*

Et pæna, & gratia est: quid servat post pænam, qui per gratiam exhibet pænam?
Ang.

DIES

DIES XXII.

De Oratione.

L

Virtus orationis certissima fit, oportet,
 quia divina Bonitate, fidelitate, &
 meritorum Christi virtute nititur. Ac
 propterea oratio, ut oportet, facta, effectu
 suo frustrari non potest; cum fieri nequeat,
 ut Deus bonitate, fidelitate, & Christi me-
 rita suâ destituantur virtute. 1. Vis ora-
 tionis bonitate DEI nititur: Potestne ea
 solidius habere fundamentum? Proprium
 bonitatis est, se communicare, & proprium
 bonitatis infinitæ est, modo infinito se
 communicare. Quid igitur de bonitate
 DEI non expectandum? Ipse est, ut sancti
 Patres ajunt, nutrix Charitate plena, cui
 lactis abundantia oneri est. Voluptas ei
 affertur, & solacium, cum eo exoneratur:
 Sol est, qui aliud non quærit, quam radios
 suos diffundere, quos toti universo commu-
 nicat, quin vel minimum quid perdat. So-
 lum id age, ut cor tuum ei per preces pate-
 fiat, tunc id penetrabunt. Plenitudo est
 immensa, quæ nihil, nisi vacuitatem, quam

Februarius. impleat, quærit. Humilis verò oratio, cum sit sincera confessio indigentiae, & impotentiae nostrae, vacuitatem hanc DEO ostendit, & impetrat, ut ea impleatur.

II. Virtus orationis fidelitate DEI nititur : Cum igitur tam solidum habet fundamentum, falline potest ? *Amen, amen dico vobis, inquit servator, quidquid petierit Patrem, in nomine meo, dabit vobis.* DEUS fidelis est, ait Apostolus ; non potest verbis suis non stare. Verum non tantum promittit, sed etiam jurat, se concessurum, quidquid nomine suo petierimus. Eratne DEO opus juramento, ut nos ad hoc credendum alliceret ? Quantus nobis honor contingit, dum videmus DEUM nostram causam jurare ? Et quanto ipsi probro est, si ejus verbo diffidamus, etiam cum id juramento confirmat ? Et sane, an non is diffidere videtur, qui tanto cum timore, & tantilla confidentia orat de precum nostrarum, si eae cum vera confidentia fiant, effectu dubitare, est de fidelitate DEI ambigere. Quantam ei per hoc injuriam non inferimus ; imò quantam nobis ipsis non inferimus ? De fidelitate DEI dubitare, est esse penitus ethnicum.

III. Virtus orationis efficacitate meritorum Christi nititur ; an ea melius habere fundamentum potest ? Quidquid Ecclesia
pe.

petit, quidquid nos cum illa petimus, per **Februarius** Christum, id est, per ipsius merita, petimus; itaque securi sumus, nos id obtenturos, si cum confidentia petimus. Christus nobiscum petit, quod nos per ipsum petimus. An Pater ipsius id ei negare potest, cum jure perat id, quod misericordia sua nobis promeritus est? Et verò quid meritus non est, cum ejus merita sint infinita? Nihil est, quantumvis magnum, & difficile id videatur, quod petere non possumus. Et sperare non debeamus, nos obtenturos, si id per Christi merita flagitamus. Pater æternus omnia nobis debet, quia filius ipsius omnia pro nobis dedit: Neque nimium dare nobis potest; cum ipsius potentia meritis filij sui major non sit. Si pauperes sumus tantos inter thesauros, in quem culpam, nisi in ipsos referre debemus?

Erubescere, quod in precibus tuis tam parum confidentiæ habeas; quod signum est te parum etiam confidentiæ habere in DEI bonitate, ejusdem fidelitate, & meritis Christi Domini.

Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. *Jo. 14. v. 13.*

Omnipotens oratio, cum sit una, omnia potest. *Theod.*

DIES XXIII.

De Mansuetudine.

I.

Discite à me, inquit Servator, quia mitis sum, & humilis corde. Potésne Christianus esse, Si Christi Discipulus non es? Potésne Christi discipulus esse, si ejus documenta non audis, nec ea exequeris? Is nos mirificè in omni virtutum genere instruit; sed mansuetudo, & humilitas eae sunt, quas peculiariter docere, & à nobis addisci cupit. Duæ hæ virtutes singulariter ei charæ sunt, & inseparabiles ipsius comites; quas esse voluit totius quasi moralis doctrinæ fundamenta. *Beati pauperes*, inquit, *beati mites*. Hæ sunt duæ virtutes; quarum nobis plura dedit exempla; & dici potest, ipsius spiritum ijs comprehendere, ipsamque ex ijs præcipuè cognosci. Imò Hasias Prophetæ indolem Messiae verbis exprimere, nobisque indicia quædam relinquere volens, è quibus is agnosci, & facilius discerni posset, nec ejus potentiam, nec miracula, nec doctrinam, nec virtutes, sed unicam ipsius affert mansuetudinem.

Non

Mat. 5. v. 3.

Non erit tristis inquit, neque turbulentus; non clamabit, neque audietur vox ejus foris. Hæc est imago Christi. estne etiam tua? Agnosce te ex hisce lineamentis? Ipse est exemplar tuum, & omnium prædestinatorum: Si hujus non es Ectypon, è reprobatorum es numero.

Isa. 42. v. 2.
E 4.

II. Quàm admiranda documenta hac de re divinus noster Magister nobis non præbet in Evangelio? Is nos hortatur, ut porrigamus alteram maxillam ei, qui percussit dexteram, potiùs, quàm nos vindicemus. Ut pallium nobis eripi patiamur potiùs ab eo, qui vestè auferre nobis cupit, quàm cum ipso litigemus. Præcipit nobis, ut non solum toleremus, sed & amemus inimicos nostros, eisque beneficiamus. Afferit, non per aliud, nisi per hoc ab Ethnicis, & publicanis nos distingui; Non ex alio, quàm ex hoc signo agnitum nos iri, quòd sui discipuli, quòd veri Christiani sumus. Exigit, ut mereamur effectus misericordiæ, & mansuetudinis suæ per eam, quam fratribus nostris exhibebimus. Sacrificia etiam excellentissima ipsi ingrata erunt; nisi prodeant ex animo mansuetudine, & charitate in proximum pleno; præterea ab altaribus & simul è corde suo nos repellit, si ad ea accedere non vereamur

Matt. 5. v.
39.

Matt. 5. v.
40.

ibid. v. 44.

ibid. v. 47.

Ioan. 13. v.
35.

Luc. 6. v. 36.

Matt. 5. v.

Februarius, animo exacerbatò, vel à fratribus nostris alienato. Ab altaribus repelli, est è numero Christianorum arceri, est è corde IESU excludi, & reprobari.

III. Cùm simus Christiani, & exploratam habeamus axiomatum Christi de mansuetudine veritatem, quì fieri potest, ut nos trahi non sinamus à mirandis exemplis, quibus ipse ad hanc virtutem colendam nobis præluxit? Quanta non potentia toleravit discipulorum suorum inurbanitates? Quantopere se eorundem imbecillitatibus non accommodavit? Qua suavitate & indulgentia non egit cum peccatoribus? An unquam aliquem illorum aspernatus est? Qua benignitate eos non excepit? Quò misèriores erant, eò majorem eis amorem & misericordiam exhibuit. Horror infinitus, quo peccatum averfatus fuerat, nunquam ei vel minimum acerbitatis sensù erga peccatores inspiravit. Grandia scelera Publicani, Magdalenæ, mulieris adulteræ, effectum alium non habuère, quàm quòd ipsius erga illos auxerint commiserationem. Quin & ipsimet eius tortores bonitatis & mansuetudinis hujus effectus fuère experti; dum non contentus ipsis ignoscere eos etiam excusavit, & moriens pro iisdem oravit. Sed ubi unquam

Domi-

Domine magis se prodidit patientia, & Februius.
benignitas tua, quàm, ubi post tot ingrati
animi noxas me tolerasti? Et quis illam
ferventiùs amare, & imitari debet, quàm
ego, qui ipsemet benignitatis tuæ tam in-
signe sum exemplum, nihil est, nisi vis gra-
tiæ tuæ virtuti exempli tui sociata, quod
hunc effectum in me progignere queat.

*Pete à Christo Domino, ut tibi gratiam imper-
tatur mirandum hoc documentum exercendi,
quod ipsemet per suam doctrinam & exemplum
præbere nobis voluit.*

Manfuetis dabit gratiam. *Prov. 3. v. 4.*

Nihil tam similem DEO facit, quàm man-
fuetudo. *Chrysof.*

DIES XXIV.

De præcepto amandi proxi-
mum.

I.

IN antiqua lege DEUS præceperat, ut
proximum nostrum amemus, atque
hoc mandatum Christus in nova renovat,
& in sermone Cænæ, quæ quasi ul-
tima eius voluntas erat, tertium repetit,
ut ostendat, quantopere id sibi cordi sit.
estne præcepto nobis opus, quo ad id præ-
standum incitemur; quod natura, & ra-

Februarius

tio nobis inspirant? Nam quid denique magis æquum, quàm amare hominem ejusdem nobiscum naturæ, hominem, quemadmodum nos, ad imaginem Dei Creatum; per Baptismum, sicuti nos, regeneratum, & proinde membrum Christi, & fratrem nostrum effectum? hominem æquè ac nos sacramento Corporis & sanguinis Christi, quod est sacramentum unionis, nutritum; hominem, qui iisdem medijs, ad eandem, ad quam nos, felicitatem tendit, quique factus est, ut nos amaret, & à nobis per totam æternitatem amaretur, si prædestinati sumus, uti sperare nos oportet? quid facilius est, quàm observare mandatum, cujus observatio, cum tot amicos nobis compareret, quot homines inveniuntur, Paradisum, omnesque ejus incolas beatos efficit? si mundus iste infernus esse censeretur, inde oritur, quòd hoc præceptum in eo non servetur.

II. Christus Dominus affirmat, præceptum diligendi proximum propriè suum esse præceptum, ut nobis ostendat ejus observationem præcipuè sibi cordi esse: *hoc est, inquit, præceptum meum.* Quod singulariter mihi charum est, & cujus plurima vobis exempla præbui; cum aliæ virtutes non nisi effectus sint meæ erga vos
chari-

charitatis. Hoc est præceptum meum: quod **Februarius.**
 novæ legis characterem constituit, meum-
 que in se spiritum complectitur: atque in
 observatione hujus præcepti *cognoscent om-* **10. 13. v. 35.**
nes, quia discipuli mei estis nempe si dilectio-
nem habueritis ad invicem. Quasi dicere
 Christus velle: neque è magnis prodigijs,
 quæ patrabitis, nec è dono linguarum,
 quod accipietis, neque ex ipsa fide, quam
 habebitis, cognosceretur, vos veros meos
 esse discipulos: alij, qui tales non erunt,
 illis donis gaudebunt, sed vos unicè cog-
 noscemini è charitate, qua unus alterum
 profeceretur. Cognoscisne hoc in te sig-
 num? habesne hunc characterem? si eum
 non habes, etsi fidem haberes tam firmam,
 ut montes transferres, tantam animi mag-
 nitudinem, ut corpus tuum omnibus im-
 molares austeritatibus, discipulus Chri-
 sti non es; idcirco, quòd ejus characterem
 non habeas. Spiritum ejus non habes,
 quia charitate cares.

III. Christus asserit, præceptum chari-
 tatis simile esse maximo præcepto amoris
 erga DEUM. Potestne efficacius quid dici,
 quo nobis ejus excellentiam ostendat? quid
 incredibilius esse videretur? sed reapse quid
 verius? sunt planè similia, cùm eandem
 habeant originem, & scopum eundem.

Idem


1. Jo. 4.
v. 20.

Idem est habitus, qui me impellit ad amandum DEUM propter se, & proximum propter DEUM. Amor DEI est causa necessaria amandi proximum: nec amare DEUM possum, quin proximum amem; adeò, ut, si proximum non amo, nec DEUM amem. Ubi calor non est, ibi nec ignis est, sic ubi amor proximi non est, ibi nec amor DEI est. Si quis dixerit, inquit S. Joannes, quoniam diligo DEUM, & fratrem suum oderit, mendax est. Et verò quomodo is DEUM amaret, qui ejus mandatum contemnit? Hinc judica, an Deum ames: an non languor tuus, vel potius durities erga proximum, sufficientem de hoc dubitandi præbeat ansam?

Roga Christum Dominum, ut, cum præceptum amandi proximum, ipsius præceptum sit, ut exemplum, quo tibi præluxit, sulciat suâ gratiâ, ut id implere possis.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Jo. 15. v. 12.

Quomodo illum diligis, cujus præceptum contemnis? Aug.



DIES



DIES XXV.

De præcepto Deum amandi.

I.

PRæceptum amandi Deum, æquissimum est in suis motivis. Ratio amandi, inquit S. Bernardus, est Deus ipse; quia in se complectitur omnes rationes, quæ nos ad ipsum amandum animare possunt. Amamus é magni æstimatione id, quod pulchrum, quod perfectum est: Deus, cum sit infinite pulcher, infinite perfectus an non infinite amabilis est? nonne igitur eum amore infinito prosequi deberemus, si id fieri posset? cum verò amore infinito eum amare non possimus, saltem limites amori nostro non ponamus. Amamus é grata beneficiorum memoria omnes, à quibus beneficium quoddam accipimus: Beneficia Dei igitur cum sint innumera, continua, æterna, infinita, nonne obligant nos, ad continuam, æternam, & si fieri posset, infinitam grati animi memoriam? Amore concupiscentiæ, ut vocant, & proprii commodi amamus eos, à quibus boni quid expectamus. Et quæ bona à Deo non expectamus? ad remunerandum amorem nostrum promittit, se nobis seipsum,

&c

Februarius.

& secum omnia bona daturum, nosque felices, eadem, qua ipse fruitur, felicitate redditurum. Potestne dari præceptum magis justum, magisque ad Deum amandum impellens? an non igitur iniquè agimus, si id non observemus?

Rom, 13.
v. & v. 8.

II. Præceptum hoc, quod ad ejus obligationes attinet, amplissimum est. *Plenitudo legis est dilectio*, inquit Apostolus; *qui amat Deum, eandem implevit perfectè*. Sed amare Deum ex toto corde debemus, nullâ ejus admissâ divisione. Amare eum debemus ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus nostris: quanta obligatio! at quis hanc legem secundum omnem ejus amplitudinem implet? Potestne cor divisum, spiritus dissipatus, anima rebus mundi immerfa, carni & sanguini addicto eisdem satisfacere? an non & tu sic animo comparatus es? quomodo id convenire cum hujus observatione mandati potest? si quis ad ferventiorum vivendi rationem commovere te cupit, an non satis est, dicis, mandata Dei servare? assentior. Sed incipiamus à primo: amasne Deum ex toto corde tuo? conscientiam ipse tuam, si ea sincera sit, interroga. Quid tibi respondebit? auderetne id affirmare? si hunc in modum responderet; an non vita tua ignava

nava & voluptatibus dedita, immodicus Februarius,
tuus mundi, & tui ipsius amor mendacij
eam arguerent?

III. Præceptum amandi Deum in sua
praxi facillimum est: non agitur, nisi de
amando: quid facilius? plus non exigitur,
quàm cor ad amandum. At si tam facile
est amare, profectò facilius adhuc est ama-
re Deum aded amabilem ob perfectiones
sibi proprias, ob beneficia, quibus nos cu-
mulat, ob amorem, quo in nos fertur; ob
desiderij vehementiam, quo nostrum vi-
cissim amorem cupit. Quid facilius,
quàm amare Deum, in quo amando pa-
cem, perfectionem, meritum, gloriam,
felicitem nostram invenimus pro hac
& altera vita? & tamen hoc totum est,
quod petitur. *Ama, & fac, quod vis*, in-
quit S. Augustinus. Quænam ratio ab a-
more hoc eximere nos potest? non omnes
magnas facere eleemosynas, ingentes au-
steritates sibi injungere, nec longas preces
persolvere possunt; sed omnes amare Deum
possunt. Hoc unicum à te exigitur, ut
salutem æternam consequaris.

*Sæpe dicito cum S. Augustino: Domine tu a-
mare te jubes: præcipe mihi, quidquid voles;
sed da, quod jubes.*

Ple-

Februarius. Plenitudo legis dilectio. *Rom 13.
p. 10.*

Ratio diligendi Deum, Deus est; dili-
gendi modus, sine modo diligere. *Bern.*

DIES XXVI.

De imitatione Iesu Christi.

I.

SI Christum cognoscimus, non poteri-
mus eum non magni aestimare; si eum
aestimamus, non poterimus eum non ama-
re; si eum amamus, volupe nobis erit eum
imitari. Si id difficile nobis accidat, sig-
num est, nos eum non amare. Unum e
manifestissimis amoris nostri argumentis
est desiderium, nos personæ, quam diligi-
mus, uniendi; atque hanc unionem perfe-
cta animi similitudo constituit. Ratio nos
urget ad amandum id, quod perfectum est,
& à nobis aestimatur; & amor nostri ipso-
rum nos impellit ad illud amandum. Cum
hoc sit medium ad perfectionem propriam
pertingendi. Si igitur honori nobis non
ducimus, Christum imitari, tunc eum
non aestimamus. anne cæcitas invenitur
major? verum Christum magni aestimare,
nec tamen imitari, est seipsum non amare.
Potestne major excogitari stultitia?

Po-

Potesne, Domine, iustius, imò severius Februarius. nos punire, quàm, si in hoc nos deseris?

II. E naturæ legibus imitari studemus illos, quibus vel amicitiae, vel subjectionis nomine obstringimur. Liberi naturæ ductu imitantur suos parentes. Hic est effectus amoris ipsorum, qui semper aliquam supponit similitudinem dicti amoris causam. Subditi sponte sua imitantur suos Reges, etiam, quod ad eorum defectus attinet: hic est effectus æstimationis & reverentiæ illorum. Cur igitur Christum imitari nos totis viribus contendimus, cum & amicitiae & amoris jure penitus obligamur? cum is sit Pater, Frater, amicus, Sponsus noster: si non omnes humanitatis sensus exuimus, cur non felices nos reputamus, quòd omnibus hisce titulis respondere possimus enitendo, ut ei similes evadamus. Devincti ei sumus omnibus titulis subjectionis, quia Deus, Magister, Rex noster est. Si gloriae cupidi sumus, cur honori nobis non ducimus eum sequi, & imitari? cui nam id probro est, nobis, an ipsi? haud dubiè utrisque: sed infelicitas, quæ inde oritur, in nos solos redundat.

III. Amor, quo Christus in nos ferebatur, eum coëgit se nobis similem reddere;

M

&

Februarius. & amor, quo nos in ipsum ferimur, nos non adigat, ut ej similes fieri conemur? ergone quidquam est, quod perdere hac ratione possimus? ipse omnibus nobis dicit: qui me amat, me sequatur, & unâ habitabimus. Quid? inquit nobis: potestisne vobis imperare, ut me non ameris, insuper habitis titulis, quibus mihi devincti estis? potestisne, si me amatis, vobis imperare, ut me non sequamini? Possūne ego amorem meum clariùs demonstrare, quàm, ubi rem adeò vobis proficuum exigo, qua vestrum in me charitatis affectum vicissim testari possitis? Potestisne ingrati animi vitium, mentisque Vestræ cæcitatē luculentiùs prodere, quàm illum mihi negando? amor, quo Christus erga nos ferebatur, ipsum eò adegit, ut se nobis redderet similem, licet ad id obtinendum omnia impendere debuerit; licet sua se Majestate exuere, nostramque induere vilitatem debuerit: & difficile nobis accidet ad amorem nostrum Christo testandum laborare, ut eidem similes evadamus, etiam in hoc gloriam, supremamque nostram felicitatem inveniamus? quidnam magis admirandum? an hoc, quòd Deus felicem se reputarit, quòd homini similem se reddiderit; an verò quòd homo infelix sibi

videatur, si homini-DEO similis eva-Februarius.
dat ?

Pete à Christo Domino, ut se tibi probè cog-
noscendum præbeat; quia si perfectè eum cogno-
scis, non poteris eum non amare, & imitari,

Si quis mihi ministrat, me sequatur.
Joan. 12. 26.

Volunt omnes te frui, sed non imitari
cupiunt; consequi, sed non sequi. Bern.

DIES XXVII.

De Conformitate voluntatis
cum Divina.

I.

VOLUNTAS DEI est Omnipotens: omnia,
quæ vult, facit; nec quidquam fit,
quod non vult. Non cadit, inquit serva-
tor, capillus de capitibus vestris, neque ex
arbore folium, nisi ipso jubente. Quid
fiet de rebus majoris momenti? Bona, &
mala pariter ex ejus voluntate contingunt.
Si erit malum in civitate, inquit propheta,
quod Dominus non fecerit? Ego Dominus, ipse-
met ait, & non est alter, formans lucem, &
creans tenebras. faciens pacem, & creans ma-
lum. Tyrannos appellat Virgas furoris
sui; quas in ignem conijcit, ubi ijs ad ca-

Amos 3. v. 6.

Isa 45. v. 7.

Is 10. v. 17.

M 2

stigan-

Februarius. Stigandos & corrigendos filios suos usus est. Peccatum solum est malum illud, quod non vult, sed permittit solummodo, esse effectus ejus velit: condemnat fratrum Iosephi invidiam, sed vult ejus effectum, videlicet Iosephi servitorem. Abominatur Iudæorum rabiem, sed vult, & præcipit filij sui mortem, quæ ejusdem est effectus. Injuriam, quæ tibi infertur, puniet; sed vult hanc injuriam, & afflictionem, quam injuria illa tibi parit. Possumus quidem de hisce malis haud immeritò conqueri si ea in seipsis spectentur. Quis verò conqueratur, si ea spectentur in voluntate DEI? DEUS illa vult. Aurea sanè verba, & quantas rationes ea suggerunt homini verè Christiano, DEUM agnoscenti, & sincerè amanti hanc cum divina voluntate conformationem amplectendi! auderétne homo, & quidem Christianus dicere: DEUS id vult; at ego nolo?

*Psal. 13.
v. 24.*

II. Voluntas DEI est infinite sapiens. Ideo, quidquid facit, optimum est. *Omnia,* inquit Propheta, *in sapientia fecisti:* Prima sapientiæ regula, est, semper facere, quod melius est, eligere media ad finem, quem sibi proponit, aptissima. Credimúsne DEUM, qui suprema est sapientia, hanc regulam transgredi? finis omnium ipsius
ope

Operum est ejus gloria ; potestne eum de-
ficere vel zelus illam promovendi, vel lu-
men, media huc idonea cognoscendi, vel
potentia, ea adhibendi? Vir sapiens juxta
sapientiam suam agens facere non potest,
quod bonum non sit; & Deus infinite sa-
piens, aliquid eligere aut facere possit,
quod non sit infinite bonum? quemadmo-
dum nihil perfectius, meliusque concipi
potest, quam Deus in sua natura, sic nihil
melius, perfectiusque concipi potest, quam
Deus in sua actione: nam *attingit à fine ad* sap. 3.
finem fortiter, & omnia disponit suaviter; ac
ita, ut falli non possit. Ad exequenda
consilia sua è tenebris eruere lucem, & per
media, quæ penitus esse contraria viden-
tur, ad finem pertingere novit. Mundi
peccatum per omnium peccatorum maxi-
mum, quale est Deicidium, destruit. Ve-
neremur, & adoremus ipsius consilia, si
ea non penetramus, Deoque jus suum
tribuamus, credendo, eum omnia ad me-
lius disponere, licet id non concipiamus,
pluræque præstare posse, quam nos com-
prehendere valeamus.

III. Voluntas Dei, cum sit infinite bo-
na, non tantum facit, quod in se, sed &
quod nobis optimum est. Potestne ad
malum nobis ab illa evenire voluntate,

M 3

quæ

Februarius.

*Tenuisti ma-
num dexte-
ram meam.*

Psal. 72.

v. 24.

quæ Bonitas ipsa est? manus Domini, inquit Propheta, nos dirigit; sed cor ejus dirigit manum ejus, & amor ejus dirigit cor ejus. Quid igitur mihi timendum, vel potius, non sperandum? quæ fieri potest, ut ejus directioni me committere verear? Deus est Pater noster, & omnium patrum optimus. Potestne amor erga nos ipsi deesse? possuntne è corde, & manu paterna prodire flagra mihi non salutaria? Is si percutit, aliud non intendit, quàm ut nobis medeatur, vel saniores nos reddat. Si malum nobis inferre videtur, aliud non quærit, quàm ut nobis faciat bene. Si nos à Creaturis avellit, id ob aliud non facit, quàm ut nos unicè sibi addictos reddat. Si quandoque commodorum nostrorum temporalium oblivisci videtur, alium sibi finem non præfigit, quàm, ut eò tutius felicitati nostra æternæ consulat. Et quid sunt omnia commoda temporalia æternis composita? minus nihilò. Sic Deus hi-
ce de rebus sentit: idem & nos de ijs sentire oportet. anne idem cum DEO judicium de ijs ferimus? Pavores nostri ad minimos casus adversos, quæ fortunam nostram invertunt, & tranquillitas nostra in ijs, quæ saluti nostræ obsunt, contrarium abunde demonstrant.

Pre-

Precare DEUM assidue; ut ejus voluntas impleatur; neque aliud præter hoc pete. Februarius.

Quis est iste, qui dixit, ut fieret, Domino non jubente, ex ore altissimi non egredientur nec bona, nec mala. *Thren. 3. v. 37. & 38.*

Passus es aliquid mali; si velis, non est malum. Age gratias Deo, & mutatur malum in bonum. *Chrysoft.*

DIES XXVIII.

De Misericordia Dei.

I.

NUllum in Deo est attributum, quod magis amare debeamus, quam ejus Misericordiam: quia miseris, quales nos sumus, nullum adeò convenit. Sed ex omnibus Misericordiæ ipsius effectibus præcipuè cordi nobis esse debet ejus patientia, qua peccatum tolerat, & peccatoris pœnitentiam expectat; cum hæc sit unicum vitæ in sceleribus traductæ asylum. Ut hanc patientiam magis adhuc admirère, omnes ejus gradus considera. Primò nobis connivet: *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* *sap. II. v. 24.* Mirandum est, quòd,

M 4

cum

Februarius. cùm Deus omnia sciat, & possit, dissimulet tamen. Homines dissimulant, vel ob ignorantiam, quia mali gravitatem vel non agnoscunt; vel ob debilitatem, quia id nec punire, nec impedire possunt. Ipsi utrumque facile est. & nihilominus dissimulat. Secundo. Deus peccatum non modo dissimulat; sed aliquoties excusat; qualis indulgentia in Deo, qui hoc infinite odit; Nequaquam, inquit, ultra maledicam terræ propter hominem: sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Fuitne unquam scelus minus excusabile, illo, quo Judæi morti addixere Dei filium? servator tamen id excusandi rationem invenit: Pater ignosce illis; non enim sciunt, quid faciunt.

Gen. 8. v. 21.

Isa. 29.

v. 34.

II. Tertiò. Si Deus nec dissimulare, nec excusare peccatum possit, ostendit patientiam suam in eo tolerando, & peccatoris poenitentiam expectando; in cohibendis, ut ita dicam, omnibus conatibus sanctitatis suæ peccato infinite oppositæ; justitiæ suæ, quæ indefinenter eum ad vindictam impellit, & infiniti zeli gloriam suam tuendi; qui eum ad illos, qui eam adeò indigne violant, perdendos instigat. Patientia sola omnibus ejus attributis obsistit, ad peccatorem à pænis, quæ tantopere promeritus

tus

tusest, subducat. *Quartò.* Si Deus, *Februarius,*
postquam longo tempore, at incassum,
expectavit, se coactum videt de vindicta
cogitare, tum sua patientia eum minitari
jubet, & seriò malum peccatori intentare,
ut eum terreat; atque ita ad prævertendos
iræ divinæ effectus, & molestam illum pu-
niendi necessitatem adigat. Sic Deus Ni-
nivitibus imminentem interitum ipsis qua-
draginta diebus antè per Jonam Prophetam
minuitur, ut illum vitæ suæ emenda-
tione à se avertere cogat. *Quadragesima*
Dies minarum Ninivitas ad meliorem fru-
gem adduxere. Deus forsitan plures jam
annos tibi minuitur, & ad bonam frugem
non redis?


II. Quintò. Si peccator adeò stupidus
est, ut minis hisce non moveatur, neque
curæ ei sit, illarum effectus inhibere, Deus
ipse homines inquit, à quibus mitigetur,
similis cujdam patri, qui tenerè amat fi-
lium, ad quem castigandum, ubi se obli-
gatum videt, magnis domum implet cla-
moribus, ut quis ijs excitus Virgas sibi ere-
pturus advolet. Deus Abrahamo aperit
Consilium suum, quod concepit, infames
civitates Sodomã & Gomorrhã perdendi,
non tam ut ejus fiduciam animet quàm, ut
eum ad gratiam pro miseris illis imploran-
dam

Februarius. dam iramque suam coërcendam impellat. Abrahamus, qui Dei Consilium penetrabat, consentit, eoque Deum adigit, ut sibi polliceatur, se, ubi decem justos in illis civitatibus inveniret, eorum gratiâ reliquos parsurum. Sextò. cùm se coactum videret ad eos puniendos etiam contra suam voluntatem, diceret, ipsummet subire malum, quod inferre cupit: tanto ei do-
Gen. 6. v. 7. lori hæc res est. *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit hominem, quem feci.* Denique reos semper mitiùs punit, quam mereantur. Si misericordia tam stupenda nos non moveret, omni humanitatis sensu caremus. Patientia Dei fatigata magis nobis erit formidanda, quàm ejusdem justitia.

Statuamus, non diutiùs Dei abuti patientiâ, qua peccata nostra tolerat, ne ea tandem cessante furorem transeat.

Cùm iratus fueris, Misericordiæ recordaberis. *Habac. 3. v. 2.*

Maluit de sua Divinitate, quàm de sua patientia dubitari. *Tertull.*



CON-



CONSIDERATIONES CHRISTIANÆ.

In Singulos Anni Dies.

MARTIUS.

DIES I.

De fine Hominis.

*Homo Deo servire debet, quia Creator
ipsum est.*

I.



Equum est, ut Deo serviamus :
est enim Creator noster, & nos
opera manuum ejus; totos pro-
in esse ipsius nos decet. Ipse
est origo totius nostræ substantiæ. itaque
omnium moruum nostrorum finis esse de-
bet. Quidquid sumus, quidquid habe-
mus, ab ipso accepimus. Itaque æquum
est, ut non nisi ipsi vivamus. Omnino,
Domine, vivere non mereor, nisi tibi vi-
vam. Nihil adeò ad opificem, quàm o-
pus suum spectat; cum tamen is aliud ei
nik

Martius.

nil dederit, præter formam, inventâ jam antè materiâ: Deus, dum nos creat, nobis & materiam & formam præbet; quia alium fundum præter nihilum non invenit. Longè igitur plus juris habet exigendi, ut toti ipsius simus. Sumûsne verè ipsius? Mundus, voluptas, peccatum, an non meliorem nostri partem sibi vendicant? quanta injustitia! atque hæc, Domine, pæna mihi sufficiens est, cum ipsum meum peccatum tortoris obeat vices; nam, Eheu! potestne major nobis infelicitas accidere, quàm non penitus esse tuos?

II. Deus non semel duntaxat me creavit, sed etiam, ut ita dicam, quovis momento me creat, dum me conservat, quod conservatio continuata creatio sit. Cum de nihilo erutus sim, perpetuò eò tendo inclinatione tam necessaria, ut quovis temporis puncto eò reciderem, nisi Deus, qui supra vastam hanc abyssum me suspensum tenet, omnipotenti sua manu me sustineret. Et ego beneficam hanc manum offendere non verear, quæ ad se vindicandam, meque perdendum alio non habet opus, quàm, ut se mihi subducat? Potestne esse stultitia major, & turpior ingrati animi labes? Cum nec unicum sit momentum, quo Deus me non conserve; nec

bene

bene mihi faciat; æquumne est, ut vel *Marrins*, unicum momentum sit, in quo eum offendam? in quo eum non amem? in quo ei non serviam?

III. DEUS nos creâsse, & conservare non contentus, eò etiam se demittit, ut ad omnes nostras actiones concurrat; neque enim vel minimum exercere motum sine ipsius auxilio possumus semper nobis parato. Supremum suum Dominium nobis subijcere videtur; & nos ipsi subijci volumus? An non rationi consonum est, ut, cum ipse ex compacto semper nobiscum remgerat, etiam nos cum ipso ex compacto operemur, & ipsius consilijs adstipulemur: quia per indulgentiam admirabilem nostris actionibus se non opponit? ipse semper nobiscum agit; vellemusne Dei ipsius actione ad ipsum offendendum abuti, & ex ejus beneficijs instrumentum ingrati- tudini nostræ fabricari? quis hoc cupiat?


Cum tot nominibus Dei sis, statue te totum penitus ei donare, veluti furtum reputans, quidquid ei è corde tuo subtrahis, ut id creaturæ tribuas.

Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, qui fecit, & creavit te? *Deut. 32.6.*

Ille me totum sibi exigit, qui totum me fecit, *Bern.*

DIES

Martius.



DIES II.

De fervore in cultu Divino.

I.

Mundus deinceps schola mihi erit, in qua DEO servire discam. Mundanorum cum Mundo agendi ratio exempli & regulæ mihi erit loco, ut ab his discam fervorem, quo DEO servire teneor. Quid illi non moliuntur, quid non perferunt, ut Mundo placeant? & frequenter res eis haud succedit. & si succederet, quid inde haurirent utilitatis? ut DEO placeam, non nisi placere velle exigitur: & quantum ex eo comodi mihi non obtingit! Omnia mundo consecrantur, bona quies, honor, conscientia, salus. Nihil difficile accidit, cum fati ei faciendum: is tamen hæc omnia sæpe vix pensi habet. Et ego minimam voluptatem, levissimum commodum DEO non consecrabo? possuntne exactissima ferventissimorum Religiosorum in observandis regulis diligentia, celeberrimorum penitentium austeritas aulici cujusdam obsequijs, & submissionibus, militis cujusdã defatigationibus comparari? quanto igitur nobis dedecori est, fr

mi-

minùs agimus ad propriam salutem consequendam, quàm illi ad æternas misérias incurrendas? Meretúrne DEUS minùs, quàm mundus? éstne cælum minoris æstimandum, quàm infernus?

II. Consideratio inferni animare me ad fervorem debet. Potéstne quidquam difficile inveniri, ubi de igne æterno evitandò agitur? ad medendum vulnèri, quod vitam nostram in discrimen conijcit, ferum, & ignem perpetimur; ad quid igitur perpetiendum nos offerre non debemus, cùm de avertenda à nobis morte æterna agitur? ad evitandam mortem non rarò brachium immolatur; & nos vile commodum, vel modicam voluptatem ad evitanda inferorum supplicia non immolabimus? Timor incendio cujdam se involvendi gravissimo morbo laborantibus vigorem, & ipsis etiam paralyticis motum addit; & timor ignis æterni motum, & fervorem etiam ignavissimis non addet? Anachoretarù Thebaidos austeritates, sanctæ famosorum Pœnitentùm erga se crudelitates, atque ipsa sanctorum Martyrum supplicia non terrent, si ut media secura, pœnas æternas evitandi considerentur. ane obscuro carceri se includere, vel sepulchro condere, vitám qui ibi suam in horrendis

dis

Martius.

dis'prorsus asperitatibus transigere oportet? hoc in se impossibile videtur. At, si nullus alius inferorum ignes evadendi super sit modus, hunc desidero, hunc amplector. Sic cogitamus, sic loquimur, si fidem habemus, si credimus, & infernum cognoscimus. Quàm potens est ignis æternus ad accendendum in corde aliquo fervorem! Non sumus tepidi, non sumus ignavi, nisi quia hujus nimium immemores vivimus.

III. Consideratio Paradisi Cælestis ad fervorem excitare me debet, nec mihi quidquam difficile videatur, ubi de æterna felicitate promerenda agitur. estne aliquid, quod efficacius me animare queat ad præstanda omnia, quæ possum, bona, quàm si cogitem, actionem etiam penitus indifferentem, ubi ea propter Deum facta est, totius DEI possessionem mereri? estne aliquid, quod magis nos incitare possit ad omnia nostra bona opera cum fervore obeunda, quàm si cogitemus, mercedem nostram in cælo responsuram fervori, quo ea fuerint peracta? estne aliquid, quod potentiùs nos incitare queat ad impendenda utiliter omnia vitæ nostræ momenta, quàm si cogitemus, nec unicum eorum esse, quo æternam felicitatem mereri non
pos-

possimus? si cui mercatori certum tempus concederetur, intra quod immensum lucrum comparare sibi posset, perderetne vel unicum pretiosi hujus temporis momentum? si quod ei elapsum inutiliter esset, nonne hanc jacturam deploraret? nonne eam reparare, omnibus viribus contenderet? an non hujus mercatoris agendi ratio nostræ est condemnatio, ignavia nostræ exprobratio, & fervoris nostri incitamentum?

Stude S. Paphnutij sententiam sequi, qui, cum feminam mundi pompis addictam magnificè ornata, ejusque desiderium mundo placendi videret, flere cepit, & dicere: Væ mihi, qui tanta non ago ad salutem æternam consequendam, quanta hæc infelix ad se, & alios secum perdendos!

Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.
1. Cor. 9.


Quales impetus habebas ad mundum, tales habebas ad artificem mundi. *Aug.*



N

DIES

Martius.



DIES III.

De Cura salutis.

Negotium salutis nostrum est negotium.

I.

NON est ullum, præter negotium salutis, quod nostrum propriè sit negotium; quia fere unicum est, quod ab alio nobis procurari non possit; aut certè nemo invenitur, qui id agere sine nobis valeat. DEUS ipse, qui nos creavit sine nobis, non posset nobis dare salutem sine nobis, inquit S. Augustinus. Omnia, excepto salutis negotio, alterius operâ confici possunt. Per procuratorem de negotiis tractare, ijs nos implicare, iisdémque rursus nos evolvere possumus; at salutem æternam per eum consequi non possumus. Litem habes forensis magni ponderis, nec tamen habilis es ad jus tuum iudicio prosequendum; si peritum habes Patrum; satis est; causam enim evincere potes, quin ipse te immisceas. Princeps aliquis non quidem magnus Belli dux est; castrorum tamen præfectos habet insignes; is victoriâ potiri potest; quin ipse prælio intersit, & expugnator urbium esse, quin ipse fortiter agat.

II. Non

II. Non ita res se habet cum salutis negotio. Hic neminem substituere licet, qui vices nostras suppleat. Ingens bellum tibi subeundum est à potentibus hostibus, mundo & dæmone: ubi nec legatus, nec adiutor conceditur; ipse pugnes, necesse est, si victoriam reportare cupias. magni momenti lis tibi dirimenda est, è qua æterna vel felicitas, vel infelicitas pendet, coram iudice sapientissimo, perspicacissimo; & qui nullo pretio corrumpi te patitur; apud quem, licet universi totius fores Monarcha, ipsemet te sistere, & dicere causam debes; nec quisquam, nisi ipse hoc facias, collectam in te criminacionem diluet. Coram hoc terribili tribunali *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Inquit Apostolus; suntne rationes tuæ paratæ?

Martius.

Rom. 14.

v. 17.

III. Interea in alijs negotijs non tantopere fidimus industriæ & fidei amicorum nostrorum, ut non magis proprio fervori, & studio fidamus, rati, quemvis habiliorum, perspicaciorumque in proprijs negotijs esse, quod ibi sua potius res agatur, quàm aliena. Quantumcunque Providentiâ divinâ nitamur in rebus caducis, obligatos tamen nos credimus eidem proprijs curis respondere. Nec ullum est,

Martius.

dempto salutis negotio, in quo nos Deo penitus permittamus, quasi ipse solus omnia, nos verò præstare nihil valeamus, cum tamen is omnia, si salutis negotium excipias, præstare sine nobis possit. Salutem æternam obtinere non quidem possumus sine ipsius gratijs; sed neque ipsius gratiæ nos æternum beatos reddere possunt, operâ nostrâ non accedente. Contrarium sentire errare est: agere, quasi hoc crederemus, non est Confidentia, sed ignavia, vel temeritas. An non horum mihi conscius sum? quanta ergo hæc deceptio est? auferâ me Domine hunc errorem, cum solus possis.

Statue ipsemet serid salutem tuam operari; quia, nisi tu huic negotio manum applicas, fieri non potest, ut id felicem sortiatur exitum.

Non ego; sed gratia Dei mecum 1. Cor. 15.

Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te. Aug.



DIES

Martius.

*Loquere Do-
mine, quia
audit servus
tuus. 1 Reg.
30. 10. 9.*

plicijs crudeliore. Non cessa loqui Domine; nam servus tuus audire te denique cupit. Non cessa me quærere; probe enim sentio, gratiam tuam paulatim Dominium in cor meum auspiciari, meque sincere ab erroribus meis ad te redire velle.

II. Gratia pretium est sanguinis ipsius Hominis DEI, id est, fructus mortis ipsius. Si ea pretium est sanguinis DEI, quantum non valet? quanti eam æstimare non debemus? si fructus est cruciatuum, & mortis eius, quantæ non erit virtutis? quantam curam adhibere non debemus, ut eâ bene utamur? gratiæ infidelem esse, eique resistere, est, ut ait Apostolus, sanguinem Christi pedibus conculcare. Quanta prophanatio! Nonne & ego hujus sum particeps? possumne hujus sceleris me reum sine horrore agnoscere? hoc est virtutem Crucis ipsius veluti nihilum aspernari. Quàm abominanda ingratiæ mentis noxa! annon sanguis iste pessumdatus, altius, quàm sanguis Abelis, clamabit? non ad flagitandam Misericordiam; quod tamen fecisset, si debito eum honore affecissemus! sed ad vindictam in prophanatores suos provocandam. Si ego de horum numero sum, an non tremere debeo? si principium salutis, & spei nostræ fundamentum, dam-

na-

nationis nostræ fit occasio, & perditionis Martius.
nostræ instrumentum, ubi in posterum asy-
lum quæremus?

III. Gratia omnium meritorum nost-
rorum Principium est, omnium virtutum
nostrarum origo; æternæ nostræ felicitatis
semen. Si gratiæ fidelis sum, non sunt
merita, quæ congerere non possim; non
virtutes, quas obrinere non possim; non
certitudo Beatitudinis sempiternæ,
quam polliceri mihi non possim. Sed
contemnere gratiam, est virtutem con-
temnere, vel deserere; gratiæ infidelem
esse, est, unico medio immensos merito-
rum Thesauros cumulandi, semetip-
sum privare; gratiæ resistere, est spe fel-
citatæ æternæ se abdicare. Heu me! si
virtutem desero, si curam merita cogendi
negligo in crebris occasionibus, quas ha-
beo; si nuntium remitto felicitati æternæ;
cujus certum pignus est gratia; quis esse
possum, nisi sceleratus, miser, reprobatus?
Omnia bona cum gratia mihi obveniunt;
eaque à me recedente bona omnia rece-
dunt.

*Frequenter à Deo pete ipsius gratiam, non ni-
si petendo obtinendam; sed fideliter ijs, quas ac-
ceperis, respondendo, habilem te redde ad ma-
jores obtinendas.*

N 4

Quan

Martius.

Quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui filium DEI conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, In quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? *Hebr. 10. v. 19.*

Ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est; ut adipiscamur, quod acquiescendo cupimus, divini est muneris. *Aug.*

DIES V.

De peccato Mortali

De Vindicta, quam Deus de eo sumit.

I.

CÆlum, & infernus conspirant, ut nobis odium, quo DEUS in peccatum fertur, ostendant per vindictas, quas de eo exegit. Cælum quidem per modum, quo angelos rebelles à se repulit. Infernus per tormenta, quæ tot miseris ob unicum peccatum Mortale inflixit. Multitudo ferè innumera Angelorum, Creaturarum perfectissimarum in infernum nempe in infelicitatem infinitam & sempiternam, à DEO infinite justo, infinite Misericorde præcipitatarum, ob unicum duntaxat peccatum solâ

sola cogitatione admissum, ob unicum peccatum inanis gloriæ, ob peccatum unius tantummodo momenti, meliùs mihi ostendunt, quàm omnes ratiocinationes, quid sit DEUS, & quid sit peccatum, quo is offenditur. Quanta igitur est cœcitas mea, quòd id tam facillè admittam, imò & felicem ob id me reputem! DEUS justus peccatum punire severiùs non potest, quàm id mereatur. DEUS Misericors peccatum semper mitiùs punit, quàm id mereatur. Et nihilominus id inferno punit. Inde judica, quid peccatum sit.

Martius.

II. Possumusne credere, peccatum naturam suam mutare, idcirco, quòd in nobis inveniatur, DEUM ipsum suam de peccato sententiam mutasse, ut minori id odio prosequatur? an non peccatum idem semper peccatum est? an non DEUS semper DEUS, semper infinite sanctus, peccato semper infinite contrarius est? Credimusne, quia majorem, quàm Angeli peccatorum numerum admittimus, quia intelligere potuimus è modo, quo in illis peccatum puniet, quantopere id aversetur; quia morientem pro nobis DEUM vidimus, quia tempus & facultatem pœnitentiæ agendæ, quam Angelis negavit, habuimus; credimusne, inquam quia viliores sumus, & quodam modo magis rei,

N 5

plu-

Martius.

pluribusque gratijs ditati, quàm ipsi Angeli, DEUM mitius nobiscum acturum, ut diutius ipsius Misericordiâ abutamur, ejusque patientiæ insultemus? sincerène hoc credimus? vel certè habemusne causam hoc credendi saltem, nisi nos ultro decipere, & obcæcare velimus?

III. Modus, quo DEUS tot infelices puniat animas, quas quotidie in inferorum abyssum præcipitat, & non rarò ob unicam noxam lethalem satis superque nobis demonstrat, eum suam de eo mentem non mutasse. Si Pater aliquis ipsemet proprium filium ad mortem, & quidem ad mortem crudelem condemnaret; imò si ipsemet ejus supplicio spectator adesse vellet, eoque delectaretur; præterea si etiam supplicij executor esse vellet; certè assereres, vel Patrem omnem humanitatis sensum exuisse, vel filium omnium hominum sceleratissimum esse. At si quis, insuper adderet hunc patrem esse sapientiam, moderationem, Bonitatem ipsam, qui hunc filium adeò amavit, ut omnibus se bonis spoliaret ad ipsum ditandum, ut vitam propriam ad vitam filio servandam in discrimen conijceret. Ah! filius iste, dicereres, qui patrem tam pium ad tantam austeritatem compulit, flagitiosissimus sit,

ne-

neceſſe eſt! Pater iſte Chriſtus eſt, qui ho-
minem adeò amavit, ut omnem ſanguinem Martius,
ſuum profuderit, ut in Cruce pro illo mor-
tuus ſit. Et nihilominus hunc ipſum homi-
nem, quem tam ardentè amavit, ad ignes
ſempiternos condemnat, lætatúrque, dum
ipſum in eo ardentem conſpicit; atque
hunc ignem ſpiritu iræ ſuæ animat. Et
quis cor tam tenero amore plenum ad tam
inauditam Conſilij mutationem adduxit?
ſolum peccatum, quod in anima hujus mi-
ſeri invenit. Si mutatio tam formidanda
cor noſtrum non immutat, nec ei tantum
peccati horrorem inſpirat, quanto priùs
erga illud ferebatur amore, quis cor hoc
in melius convertet?


*Statue peccato immunem te reddere per
metum pœnarum; quæ eidem intentantur; ſi neo-
dum adeò generoſus es, ut id fugias ex timore
Deo diſplicendi.*

Væ nobis, quia peccavimus. *Thren. c. 3.
v. 16.*

Vim Deo facimus ſiquitaribus noſtris,
ipſi in nos iram divinitatis armamus. *Sal-
vian.*

DIES

Martius,



DIES VI.

De animi motione dominante.

I.

PAuci sunt, qui affectu dominante non laborent; eo qui carent, non idcirco majore virtute sunt præditi; sed ij, qui melius eum impugnare nôrunt. Nihil est majoris momenti, quàm illum cognoscere; cum tanti momenti nihil sit, quanti est, eum superare: nisi enim illum vicerimus, semper ei succumbemus. Locum hic non habent induciæ; neque ab hoc hoste, nisi eo devicto, pax obtineatur. Atque huic victoriæ pax nostra affixa est, cum hæc animi commotio omnium fere peccatorum nostrorum, vel certè majorum sit origo. Saul invidiam dominari sibi patitur. Hæc sola Regem, cætera probum reddidit sceleratum; ira, injustitia, fraudes, perjuriam, homicidia hujus matris pulli sunt. Judas, ubi avaritia abripi se passus est, mox se dedit perfidijs, proditionibus, & sacrilegijs, atque ex Apostolo fur, & Apostata evadit. Exsicca fontem, si cursum inhibere mali cupis. Supera hunc affectum

do-

dominantem; & omnibus ferè peccatis obstrues viam. Goliatho hujc caput amputandum, si omnes superare Philistæos volumus. Tota illorum strages è formidandi istius hostis clade pender. Si hæc victoria magno tibi constat, fructus, quem inde capis, omnem laborem, quem ob eam suscipis, meretur, & compensat.

II. Affectus dominans nos impedit, quò minus peccata, ad quæ committenda nos adigit, cognoscamus, vel certè eorum gravitatem non penetremus. Quilibet indomitus animi motus nos excæcat in peccato, cuj nos alligat, sed longè magis ille, qui in nos dominatum habet: *sanctum est*, nobis inquit S. Augustinus, *quodcumque volumus*. Affectio dominans rationem pervertit, vel ejus lumen prævenit, vel extinguit. Conscientiæ scrupulos reputamus dubira optimè fundata. Axiomata quædam, & documenta singularia excogitamus, quibus nixi falsos Conscientiæ Canones fabricamur. Omnes alios affectus ardentè impugnamus, ut nos ipsos decipiamus, & præcipuam animi affectionem nobis occultemus. Avarus aliquis non capit, quommodo homo ille Libidinosus vitam adeò infamem agere possit; cumque hominem quasi perditum reputat;

cūm

Martius,

Martius.

cùm tamen captu difficile ei non videatur, quomodo quis furari, bona aliena detinere, & medijs iniquis ditare se possit. Libidinosus non concipit, quâ avarus ille explere viduam, & orphanum possit: juxta ipsius mentem tam crudeli & iniquæ agendi rationi Misericordia nulla speranda est: sed nihili pendit, quò adolescentulâ hanc ad noxam pellexerit, & innocentem victimam belluinæ suæ Libidini immolaverit: hoc tamen non obest, quò minùs Deum sibi Misericordem fore speret: quia inquit, ubi miseria & imbellicitas est, saltem comiseratio erga alienas miseras non aberit.

III. Si hæc affectio nos impedit, quò minùs agnoscamus morum pravitates, quibus ea nos implicat, necessariò fit, ut inde emergere ampliùs non possimus, ac propterea pœnitentiæ agenda incapaces reddamur. De inquirendis malo, quò ignoramus, remedijs vix cogitamus. Præterea hic affectus potissimarum animi nostri commotionum fons est, omnibus nostris cogitationibus & desiderijs sese ingerit; tot frequentatis actibus roboratus in consuetudinem; & hæc consuetudo in necessitatem migrat. Et verò, quàm pauci inveniuntur homines, qui affectu dominante,

te,

te, & consuetudine inveterata se penitus **Martius.**
reddant liberos? quàm rarum hoc est? si
viginti ipsos annos superbus, aut iracundus,
aut vindictæ cupidus, bonis terrenis, aut
voluptatibus, oriove deditus fuisti, an non
post tot Confessiones, aut proposita, e-
tiamnum es? hic affectus dominans aliud
non egit, quàm quòd invaluerit. Hic to-
ro vitæ tempore tibi dominabitur, ad mor-
tem, ad tumulum usque te comitabitur,
& forsan ad inferos usque perducet. Hic
te in vita delectabat, post mortem suppli-
cij tibi erit loco. Hujus in tempore man-
cipium fuisti, & ejus in æternitate victima
eris, nisi jam hodie statuas, illum DEO,
tuæque saluti immolare.


*Ora Deum, ut te doceat, quinam affectus ti-
bi dominetur, tibi que gratias impertiat, ani-
mumque inspiret ad eum impugnandum necessa-
rium.*

Non dominetur mei omnis injustitia.
Psal. 118. v. 133.

Ex perversa voluntate facta est libido;
& dum servitur Libidini, facta est necessitas.
Aug.

DIES

Martius.



DIES VII.

De ambitione

I.

AMbitio desiderium quoddam est, quod hominem impellit, ad se plus, quam decet, elevandum. Ambitiosus gradu, quem tener, contentus nunquam est, sed ad sublimiorem emergendi semper cupidus æquè ac Lucifer, ait: *Ascendam.* Non considerat, quod infra se, sed unicè id, quod supra se est; atque hoc cum animi dolore spectat. Lucifer innumeram Angelorum multitudinem infra se, solum DEUM supra se videbat, & tamen contentus non erat, clarissimo licèt naturæ lumine illustratus esset. Ambitio enim ad eò ipsum excæcârat, ut diceret? *similis Ero altissimo.* Aman omnes Assueri subditos coram se procumbere cernit. solo Mardocheo eodem mei honores negante? quod ad eò ei dolet, ut omnia aliorum obsequia nihili ducat. Christus Dominus Zebedæi filios omnibus alijs Apostolis præponebat, solo Petro excepto; quem sibi præferri indignati duas præcipuas sedes audacter ambiunt, ut inde Petrum excludant, de primo dein loco inter se certatur

taturi. Alij Apostoli, ubi Magistrum Martium suum de humilitate Passionis suæ differentem audiēre, de prærogativa dignitatis inter se litigant. Quanta animi perversitas!

II. Ambitiosus non examinat media, quibus evehi cupit: quodlibet, quantumvis iniquum ei legitimum videtur, modò id suæ faveat ambitioni. Omnes viæ, quæ ascensum ejus promovent, ei rectæ videntur. De termino, quò tendit, unicè sollicitus est. de via, per quam eò pergit, parùm anxius: an ea difficilis, vel prava sit, perinde ipsi est, modò se ad præfixum sibi finem ducat. Ambitio sua idolum quoddam ipsi est, cui omnia consecrat, jura, leges: vel potiùs alias non habet, nisi, quæ ipsi cupiditas sua dicitur: Ratio, natura, amicitia, grata beneficiorum memoria, incassum suas ei leges proponunt; nam has amplius non audit, ubi Ambitionem suam audijt. Quàm multis ambitiosorum contigit, ut per corpus Parentis interfecti, veluti per gradus Thronum conscenderent. Deus ipse Cordis ambitiosi impetus coërcere adeò non potest, ut, si ejus elevationi se opponat, ipsum Deum vel non agnoscat, vel contemnat; seque ipsum, vel Principem, qui ipsum evehere potest, Deum suum statuat. Qui multum ha-

O

ber

Martius, bet ambitionis, nihil ferme Religionis habet.

*LUC. 14.
v. 11.*

LUC. 9.

*LUC. 22.
v. 25.*

III. Quemadmodum ratio ambitionem damnat, sic fides eam detestatur, Christus reprobatur: *Quicumque, inquit, se exaltaverit, humiliabitur.* Unica Christiani ambitio eò collimare debet, ut omnibus se submittat. Elige, inquit servator, locum postremum, si primum mereri cupis. Major vestrum est is, qui minimum se reputat. In mundo, subdit, maximi sunt illi, qui alijs dominantur; inter nos contrarium accidit. Quò magis nos deprimimus, eò propius ad Christum (qui cunctæ sublimitatis est principium) accedimus, & ob hoc ipsum verè magni efficimur. Evangelium ferè scriptum non est hujus mundi magnatibus, aut saltem non eò, ut ijs blandiatur. Status dignitatis homini, Christianis dogmatibus probe instructo, meritò terrorem incutiat, unaque sui demissionem persuadeat. Merebar ob peccata mea, inquebat non nemo è mundi magnatibus fidei lumine egregiè illustratus, similis esse homini quem, ambitio ad amplos honores evexit; sed præstat esse humilem. Sic sentimus, ubi veram habemus fidem, verèque Christiani sumus: cum verò pauci verè inveniuntur Christiani, idcirco pauci inveniuntur, qui

quī ita sentiant. Ex hoc iudicium fer, an Martius,
verè Christianus sis.

*Constituè omnem ambitionem tuam in eo po-
nere, ut te deprimas, cūm hæc sit via, quæ ad
veram perducit sublimitatem.*

Quod altum est hominibus, abominatio
est ante DEUM. *Luc. 16. v. 15.*

O Ambitio ambientium Crux! quomo-
do omnes torquens omnibus places? *Bern.*

DIES VIII.

De usu Recreationum.

I.

ANimi remissiones, juxta Divum Thomam,
remedia sunt ad sublevandam in-
firmitatē nostrā à DEO nobis concessa. Itaq;
æquè, ac remedia, nec nocivas, nec periculo-
sas nec continuas esse decet. Non decet esse
nocivas, quales sunt oblectationes flagitio-
sæ. An non enim horrenda cæcitas est, sum-
mum bonum statuere in aliqua voluptate,
ad quam derestandam, velut, summam
infelicitatem olim pœnitentia nos impel-
let; & quæ si per pœnitentiam non expie-
tur, extrema nobis miseræ, æternæ vide-
licet damnationis erit causa. Quanta in-
saniam, gaudium & vanitatem etiam in ea

O 2

quæ

Martius,

quære, quod necessariò amaram pœnitentiam, & extremum dolorem in hac vita post se trahet, vel denique in crudelem, & inutilem pœnitentiam & desperationem æternam in altera vita desinet. An igitur oblectatio, quæ tam funestum sortitur exitum, jucunda nobis videatur?

II. Necessarium insuper est, ut oblectationes, & animi remissiones non sint periculosæ. Recretationes pleræque innocentes essent, si nos ipsi insontes essemus; sed corruptio mentis nostræ venenum scelerum effundit in id, quod minùs noxium videtur, ita, ut in ipsis remedijs inveniamus toxicum, & Principium mortis in illis rebus, quæ ex intentione DEI aliò collimant, quam ad vitæ nostræ sustentationem, & imbecillitatum nostrarum levamentum non debent. Considerari etiam hic debent Recretationes, ut remedia, quæ, nisi bene parentur, vera evadunt venena. Non est prudentis, dubia remedia præ certis eligere. Stultitia est, aperto se discrimini exponere, ubi de vita agitur. Et quid sentiendum de agendi ratione tot hominum, qui aded temerè, & frequenter certis animi relaxationibus se committunt sub obtentu, eas non esse manifestè sceleratas; etsi propria experientia doctiorint, eas

eas summè esse periculosas? an non quoti-
die in huiusmodi discrimen te conijcis? an Martius
imminentem inde tibi interitum non for-
midas?

III. Recreationes non sint immodicæ,
nec continuæ. Remedia ampliùs remedia
non sunt, si nimium frequententur: na-
tura ijs assuescit; & si mensuram excedunt,
perniciosa fiunt. Idem tenendum de re-
creationibus: nam quantumvis in seipsis
legitimæ sint, tales esse cessant, ubi im-
moderate & continuæ fiunt. Recreationes
immoderate emolliunt animum, inge-
nium debilitant, idque sensim ad molli-
tatem inclinant; quæ cum impediatur, quò
minus rebus serijs animum applicare possit,
horrorem etiam à functionibus conditioni
ipsius prorsus, ut ita dicam ingenitis, in-
cutit, idcirco, quòd hæ molestæ ipsi acci-
dant. Recreationes non convenit esse ni-
mis continuas; institutæ enim sunt ad re-
ficiendum corpus, & animum recreandum.
anne hominibus, qui nunquam laborant,
ut accidit multis fæminis mundanis, & o-
tiosis, animi remissione opus est? anne a-
nimi relaxatione opus est viris, qui nun-
quam ferè alicui rei seriò sese impendunt,
ut bene multis accidit; quorum unica oc-
cupatio est, ludere, & nugas agere? Ne-

Martius, mo minus juris habet ad animi remissionem, quàm is, qui vitam in recreationibus transigit. Recreatio, quæ alijs innocens oblectatio est, ipsi dissolutio evadit.

Si demon, mundus aut caro cujusdam oblectationis, vel sceleratæ vel periculosæ illicito tentabunt; obtrude ipsis hoc sapientis responsum: Tanti non emopænitere.

Quantùm in delicijs fuit, tantum date illi tormentorum. *Apoc. 18. v. 7.*

Habent voluptates in specie lenocinium, in gustu venenum, quarum usus in crimine, pretium in morte numeratur. *Echer.*

DIES IX.

De Detractione.

I.

Detractionis nihil in mundo communius est: plurimis nihil hoc peccato levius videtur: Verùm non propterea minus grave est. Appellatur festivus in jocando lepos, amœna quælibet fingendi ratio. Sic homines hac de re sentiunt; non item DEUS. In quorum sententiam ire nos oportet? Potestne sine animi cæcitate leviter censeari peccatum, quod Cælo nos excludit,

dit, quid virtutum pupillam, charitatem Martius.
videlicet, directè invadit; peccatum, quod
aufert honorem proximo, hoc est bonum,
quod omnes præhabere divitijs debent;
multique viri æquè prudentes, ac generosi
ipsi vitæ præferunt. Furtum, & homici-
dium peccata sunt levia, si detractio grave
non est: cùm illa non rarò minùs damni
afferant, quàm detractio. S. Iacobus de-
tractionem vocat Universitatem iniquita-
tis, ut indicet, eum esse fontem infinito-
rum scelerum. An igitur ea peccatum le-
ve confenda?

II. Detractio, inquit S. Bernardus, u-
no ictu tria infligit vulnera lethifera. Lethi-
ferè fauciat animã propriam, dum ei chari-
tatē, quæ animæ vita est, eripit; vulnerat il-
lū cuius famæ detrahit, dum ejus æstimatio-
nem violat, & forsan etiam charitatem au-
fert ob amarum animi sensum, quem is in-
de concipit. Vulnerat denique illum, qui
detrahentem audit, dum ei virus suum per
aures inspirat, sui que flagitij eum compli-
cem reddit, sive ob curiositatem, quam in
eo excitat, sive ob delectationem, quam is
inde haurit, sive ob ignaviam, qua is, qui
detractionem audit, detrahentem tolerat.
Spiritus sanctus linguam obtrectantem lin-
guæ serpentis comparat; cuius ictus vix

Martius.

sentitur, & tamen venenum suum ad cor usque immittit. Quò subtilior est detractio, eò minùs reum se homo credit, cum tamen re ipsa magis reus sit. anne sagitta, quòd acuta fit, minùs est mortifera? an non oleum, cui ea intingitur læviganda, eam ad vulnus infligendum aptiorem reddit? anne morsus serpentis sub floribus absconditi minùs est venenarus? anne venenum, quod in dulci liquore sumendum nobis propinatur, minùs venenum est? an hæc detractiones tanta dulcedine conditæ minùs ad intima usque penetrant, minùsque mortiferae sunt?

III. Detractio ignaviae vitium est, quod non nisi ab animabus effæminatis prodit. Species quaedam est truculentæ ex insidijs cædis: cum enim detractor hominem coram aggredi vereatur, neque id tutò agere possit, clam id agere cogitur: invadit proin hominem ex insidijs nil minùs sibi timorem; qui, cum absens sit, nec se defendere, nec ictus avertere à se potest. Quanta ignavia! Hæc eò turpior est, cum invadimus hominem, qui nobis nihil unquam fecit mali, nec vel leviter offendit. Nunquam ferè mali quid facimus, nisi illis, qui id nobis fecere. Atque tunc animi commotio excusare nos videtur. At quam
ex-


excusationem asserre quis potest, qui ma- **Martius**
lum infert alteri, à quo læsus nunquam
fuit, eúmque velut ridente, & sereno vul-
su transfigit, nullo edito commotioris a-
nimi signo. Ignaviæ non rarò proditio-
nem jungimus: blandimur ijs, quos ex in-
fidijs interimere cupimus: laudibus extol-
limus, quos linguis maledicis acerrimè
transfodimus; eorum vices dolemus, dum
eos laceramus; Laudamus denique, dum eo-
rum famam minuimus. Obrectationes
nostras laudibus aut frigidis aut malignis
condimus, quæ aliò non collimant;
quàm, ut detractio nostra probabilior e-
vadat, & ictus, quem infigimus, minùs
evitabilis fiat. Libera nos Domine ab his
duplicibus linguis.

Deplora cecitatem, qua forsàn hætenus
laborasti, dum obrectationem rem levem esse
judicasti, & statue eam, ut peccatum gravissim-
um fugere.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo
minùs habet, qui occultè detrahit. *Eccli 10.*

Levis quidem res sermo, Leviter volat
Leviter penetrat animum, sed non Levi-
ter exit. *Beru. serm. 17.*

Martius.



DIES X.

De memoria Mortis.

L

Ecclesi. 7. 4.

Memorare novissima tua, inquit spiritus sanctus; & in æternum non peccabis. DEUS, qui nec falli, nec fallere potest, hoc asserit. Ipse, à peccato nobis cavendi remedium suggerit, unaque id optimum esse, præstat. Ratio, id esse facillimum ostendit, & fides præsentissimum, certissimumque esse docet. An non igitur ratio, & fides nos deficit, si eo uti negligimus? quantumvis amarum, molestumque remedium aliquod sit; si securum est, malumque grave, suave censei meretur. Peccatum est malum grande, quia infinita ex eo damna proveniunt, quæ in æternitatem usque sese extendunt: Remedium securum est, cum DEUS ipse pro ejus effectu spondeat: quid igitur excusationis asserre possumus, si tam facili remedio non utamur? ut malum non eveniat, plus non requiritur, quam ejusdem effectus considerare. Memento mortis, dicit Dominus, & amplius non peccabis. Ex animi levitate peri-

perire cupit, qui modici etiam sumptus Martius.
remedium admittere renuit.

II. Si cogitaremus, effectum peccati esse posse malam mortem, & certissimum mortis effectum esse infelicem æternitatem, possemusne peccatum amare? possemusne id non odisse? an non omnibus tum corporis, tum animi viribus illud evitare eniteremur? Perversa animi affectio, & cæcitas hominis peccatum ipsi reddere jucundum possunt; extrema miseria reddere mortem ipsi optabilem potest; sed nihil ei terribilius videri debet, quàm mors peccato juncta; cum hæc procul dubio in æternam desitura sit infelicitatem. Si vitæ tuæ frequenter peccatum junxeris, morti quoque probabiliter tuæ id sociabis. Versus illam partem arbor cadet, in quam inclinat. In eo statu plerumque morimur, in quo vivimus: si inclinasti in partem peccati, lapsus quoque tuus in peccato erit. Atque hæc unio res est omnium terribilissima; cum ejus terminus sit infernus. Si terminus iste timorem tibi incutit, cur viam non fugis, quæ eò te ducit, nisi quod hoc non perpendas?

III. Quisnam ille homo est, ut ut parum prudens sit, qui pridie, quàm sententia feratur in causa, in qua de omnibus
ejus

Martius.

ejus bonis honore, & vita ageretur, tamen insultare, vel offendere auderet judicem, qui eum aut felicem, aut infelicem reddere potest? Nemo sanè in ullo prorsus stans invenitur; qui non quamvis diem Considerare queat, ut talem, qua Deus sententiam vel æternæ felicitatis in eum fortasse pronuntiaturus sit, ita ut nemo contrariam sententiam rueri possit. Auderènt talis nihilominus, cum forsitan intra aliquot momenta supremo judici sistendus sit, eundem offendere? auderèntue illum irritare, si hac de re cogitaret? & cur tu de ea non cogitas, nisi stupidus, aut insanus haberi velis? Cogitatio de morte salutare illud semen est, quod servatore teste, diabolus omni conatu è Cordibus nostris evellere laborat, cum sibi persuasum habeat, id mirabiles fructus editurum. Cur non etiam nos omni vi contendimus, ut id in corde conservemus? an nobis minorem utilitatem affert salus nostra, quam illi nostra pernicies?

Cum frequens mortis cogitatio medium sit tutum æquè, ac facile, malæ mortis effectus prævertendi, statue eo uti.

Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima præviderent. Deut c. 32. v. 29.
Sem-

Semper extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus prævidere
Martino,
Greg. Hom. 11.

DIES XI.

De Examine peccatorum occultorum.

In iudicio particulari.

I.

PEccata nostra graviora non erunt materia omnium maximè metuenda severi illius Examinis, quod post mortem subibimus; sed illa, quæ nobis minùs fuere cognita: Cum enim illorum gravitas ea nobis videnda, sentiendâque proponat, faciliùs quoque nobis horrorem incutiet, eaque per pœnitentiam expiandi desiderium inspirabit: posteriora verò cum ignorantia affectata, & proin vituperio digna nobis regat, potentiam ea derestandi, & pœnitentiam de ijs agendi nobis adimit. Quàm multa peccata nostri ipsorum amor quotidie nobis occultat, & notitiæ nostræ subtrahit. Verùm hæc ignorantia nos culpa non eximit, cum potius è malitia, quàm imbecillitate nostra proveniat; quam etiam
su.

Martius.

superare potuiffemus, occulta quadam cum nostris cupiditatibus conspiratione, ab ijs vinci, quàm eandem impugnare maluimus.

II, Quàm densas tenebras amor nostrorum, maximè, si paulò vehementior est, animæ nostræ offundit. Sic rationem obscurat, debilitat, & pervertit, ratio verò perversa, cum voluntatem ab erroribus suis auertere deberet, se ipsam in errorem abduci finit; nec lumine suo utitur, nisi ad inquirendos obtentus, quibus cupiditati quantumcunque effrenatæ blandiatur, eam roborat, imò & approbet. Hinc usura sceleratissima lucrum appellatur licitum. Simonia (ut vocant) cautio à damno rationi consona, vel iusta, gratæque beneficiorum memoria. Ira, vindicta Zeli nomine palliatur. Malevolentia naturalis antipathiæ, vel iustæ indignationis nomine venit. dolosissimum implicandæ, producendæque litis artificium legitima iurium suorum prosecutio dicitur. Obtrectatio amarissima innocentis joci appellationem sortitur. Periculosissimæ, maximèque suspectæ familiaritates, honestæ amicitia nuncupantur. Conniventia ignavissimæ, clementis indulgentiæ nomen habent. Sic delectamur nosmetip-

los

fos excæcando, falsumq; conscientia dictamen effingendo nobis imponere, ut eò audacius peccemus, & tranquillius damnemur.

III. Sed, quemadmodum, ubi sol compareret, non tenebræ solummodo, sed omnes etiam dubiæ luces, ignesque fatui dissipantur; sic, ubi in mortis articulo - Verbum æternum, lumen increatum ipsum mentes nostras illuminabit, & occultissimas ejus latebras rimabitur, tunc evanescent omnia alia falsa lumina, omnes illi vani obrentus, qui non erant nisi ingeniosæ cupiditatis nostræ fraudes, quæ ad nos decipiendos nobis nos ipsos, aliisque pravitates nostras abscondebant; nec tamen Deo occultabant. Tunc res non tales apparebunt, quales sunt in cæca, & perversa nostra imaginatione? sed tales, quales in seipsis, & reapse sunt. Quod nos appellabamus lucrum licitum, Zelum justum, jurium nostrorum prosecutionem, honestam amicitiam, innocentes facerías, Veritas æterna vocabit usuram, Simoniam, immoderatam iram, malevolentiam, captiosam litium arrem, flagitiosam familiaritatem, crudelem detractionem. Qualis terror tunc erit & consternatio hominis, cujus præcipuum studium fuit, se sibi met te gere, ne sui ipsius horrore concipere-

cipe-

Martius,

ciperet, peccata sua palliare, ut ea liberius committere possit; cum Iudex ei ob oculos ponet, vitam ipsius non fuisse, nisi fallaciam & errorem? an non & ego multum ex hac cæcitate participo? an ideo usque agnoscere cunctabor, cum remedium amplius non erit malo?

Pete à Deo, ut lumine gratiæ suæ te illustret ad dissipandas tenebras, quas philautia animæ suæ offundit.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. *Psal. 18. v. 18.*

Unde non videt? gravatur oculus multis peccatis. *August. in Psal. 39.*

DIES XII.

De separatione reprobarum ab Electis.

In iudicio extremo.

I.

Tunc, inquit sacrae Paginae, Angeli separabunt oves ab hædis; electos videlicet à reprobatis, ut in iudicio illos ad dextram, & hos ad sinistram statuant. Separatio crudelis his, illis verò grata distinctio! in hac vita boni permixti sunt malis;

si qua est præ eminentia, ea plerumque malis faver: eaque de re injusta est, quia sæpe à scelere originem suam trahit. Vana est, quia plerumque aut favoris, aut cæcæ fortunæ est effectus. Frivola est, quia alio sæpe fine, quàm vanis titulis non terminatur. Brevissima est, quia in morte finitur, quæ potentissimos Monarchas cum sæpe hominum confundit: sæpe funesta est, quia non sentit, nisi ad alendam magnatum superbiam, eosque periculo exponendos Confusionis cum reprobatis olim incurrendæ.

II. E contrario distinctio, quæ fiet hominum proborum in magna illa die, justissima erit, quia DEUS non minus justus, quàm perspicax ejusdem futurus est author; nec ullam, nisi meriti, & virtutis habebit rationem. Angeli, qui ejus executores erunt, in hac innumera multitudine aliquem ultimæ fortis, sed vitæ puræ, & sanctæ hominem secernent, qui magnatum mundi calcet vertices. Hos verò opprobrijs immeritos relinquent, illo ad dexterâ regis gloriæ collocaro. In quantum hoc illi honorem, illis verò Confusionem ceder & desperationem? hæc distinctio erit solida: neque enim vano titulo, nec frivolo honore, sed felicitate infinita gloriæ æternæ termina-

P

tur.

Martius.

rum. Denique firma erit, & constans, quia tam diu durabit, quam diu DEUS, qui ipse est principium, & objectum. Et quemadmodum illius Regnū finem non habebit, sic honores, & remunerationes, quas electis suis largietur, nunquam finientur.

III. An tunc Evangelij nos pudebit? an non erubescemus Magistrum nostrum agnoscere, & Christianis accenseri? quid tunc non ageremus, ut beatæ hujus distinctionis participes fieremus, ut è parvo illo numero essemus? qualia desideria non concipiemus? quanto opere laborabimus, ut ex illa damnatorum turba nos eripiamus? at vana desideria! inutiles conatus! quia alieno tempore fiunt. SS. Angeli illos populorum domitores, illos Reges, velut miseros abigent, & repellent. Impius ille dives videbit Lazarum, Herodes Joannem Baptistam, Nero Petrum & Paulum triumphantes, & ad dexteram supremi judicis collocatos, imò & judicum munere fungentes; dum ipsi à divino conspectu repulsi ad sempiternas misérias condemnabuntur. Hos, inquam, videbunt, & in rabiem agentur: *Peccator vilebit, & irascetur.* Quanta mutatio! Princeps iste; felix iste, & sceleratus, iste tantæ autoritatis vir tibi nunc invidiam creat. *Iustus iste*

Psal. III.
v. 10.

iste tantopere vexatus, & contemptus ad
miserationem te nunc mover. Utrius
partis sortem runc eligere malle? Utra
melior tibi modò videtur? futura è præ-
senti pendet. Elige.

Martius.

Statue non erubescere Evangelium, pleno ore
virtutis sectatorem te profiteri; & honori tibi
ducere, quòd Christi sis assecla; cum hoc sit
medium, ut te in extremo iudicio agnoscat, te
unum è suis esse,

Non erubesco Evangelium. Rom. i. v. 16.

Non erubescas prædicare, quòd nòsti
defendere etiam inter blasphemos, quòd
credidisti. Aug. in Psal.

DIES XIII.

De igne inferni.

I.

IN inferno ignis erit, qui reprobos torque-
bit. Fides hoc docet, & ratio perlua-
dere nobis debet. Maximis malis, ut est
peccarum, maxima pæna jure debetur;
neque ingenium humanum graviorem,
quàm pænam ignis concipit. At qua ra-
tione ignis corporeus animam spiritualem
torquere potest? quòd hoc fiat, non capio.

P 2

Sed

Martius,

Sed scio, DEUM mihi dicere, hoc fieri. Et id mihi sufficit. Verba sacrarum paginarum hac super re obscura non sunt: ea prom interpretari velle, est ijs credere nolle. Credamus, DEUM plus facere posse, quam nos comprehendere valeamus. Si credere nolis, ignē in inferno esse, iplomet Christo tot locis id asseverante, dignus es, qui eò condemnatus ab illo aeternum ardeas. Væ tibi, si inferni ignem credere eò usque differs, dum eum lenseris?

II. Ignis inferni vim habet inusitatam. Ad hoc comprehendendum satis est, scire eum Divinae Omnipotentiae Instrumentum esse, modo peculiari torquendis animabus applicatum: & propterea ad virtutem agendi supernaturalem elevatum, hinc etsi prorsus corporeus sit, vim suam in animas spirituales exercet. Ea de re in sacris litteris spiritu DEI animari dicitur. Idcirco non modò corpora, sed & animas reprobatorum urit, & cruciat. Scriptura quoque eum sali comparat, qui corpora conservat, & unam eorum partem consumit ad servandam alteram. Ideo SS. Patres eum appellant ignem discretum, qui vim suam exserit, habita ratione reorum, magnitudinis, & multitudinis criminum, ac reprobis ita parcit, ut eos diutius punire

nire possit, nec eos unquam destruit, ut *Martius*,
semper torqueat. Solus aspectus ignis
modicè ardentis horrorem nobis iniicit :
quid fieret, si in periculo in eum incidendi
versaremur? quantopere igitur commo-
vere te debet horror ignis inferni, cuius
noster non nisi umbra est, & qui futurus
est pæna ignis illius impuri, quo fortasse
nunc flagrare tibi iucundum est?

III. Quisnam, quantumvis ambitiosus
esset, integri cuiusdam Regni obrinendi
desiderio, unius solummodo mensis, quid
dico unius mensis, imò unius duntaxat di-
ei spatio, lento igne ardere vellet? ambi-
tio forsitan adeò eum excæcare posset, ut
ad hanc conditionem accederet; sed vix
aliquot momenta ignis ardorem sensisset;
Næ! is quantocyus pactum rescinderet,
si posset. Hoc pretio Regnum emere nol-
lemus; & quotidie periculo nos exponi-
mus in flammis ab ira omnipotentis DEI
succensis, non per unam tantùm diem,
sed per totam æternitatem ardendi, non a-
licuius Regni, sed exigui lucri, unius mo-
mentaneæ voluptatis, vani honoris amo-
re. Potestne inveniri agendi ratio minùs
comprehensibilis, & nihilominus magis
Universalis? Et quæ hæc cum ratione, &
fide convenit? an non talis etiam tua est?

Martius. Si ita res habet, ubi ratio tua, ubi fides tua?

Imitare praxin sancti illius viri, qui, cum violenta urgeretur tentatione, digitum suum igni admovit; cuius ardorem cum sentiret, sibi dixit: Tu nec ad momentum huius calorem ferre potes; quomodo igitur ardores ignis inferni tolerare poteris?

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *Isa 33. v. 14.*

Sævit, & parcit; nec totum est, quod punit; cui sævum est, quod ignoscit.

DIES XIV.

De Paradiso Cælesti.

Quid est Paradisus Cælestis? est regio, cuius incolæ aliam hæreditatem non habent, quàm ipsum DEUM. Felix populus, cui possessio ipsius DEI omne bonum affert, & in quo omne bonum invenit. *Beatus populus, cuius Dominus Deus ejus.* In Cælo

Psal. 147. v. 15. DEUM videbimus, DEUM possidebimus, DEUM amabimus; DEO fruemur, DEUM

1. Cor. 13. v. 15. videbimus à facie ad faciem: quia non aderit

rit velum, quod eum nobis abscondat. Martius.
Possidebimus eum sine inquietudine, quia
nos timebimus, ne ipsum amittamus, am-
mabimus eum sine interruptione, sine im-
perfectione, sine cordis partitione; iste enim
solus cor nostrum totum replebit; eo
fruemur absque satietate, quia in eo quo-
vis momento novas pulchritudines inve-
niemus. Novas in eo semper voluptates
gustabimus; licet enim idem semper in se-
ipso sit, nobis semper novus erit. Ideo
S. Iohannes novum semper Canticum Bea-
torum linguis tribuit. *Et cantabunt quasi
Canticum novum.*

II. Cum in Cælo DEUM intuebimur, &
possidebimus, similes eidem efficiemur,
sancti, puri, prudentes, potentes, divites,
felices, velut ipse; in ipsum transforma-
bimur, aliam voluntatem, alias affectio-
nes, alia desideria, quam ipse non habe-
bimus; ipse nobis erit omnia in omnibus,
arque in ipso omnia possidebimus: Cum eo
fruemur eadem felicitate, qua ipse, ni-
mirum Pura, constanti, universali, æterna
felices evademus. Solus ille, mi Domine,
qui novit, quis sis, quantumque possis,
comprehendere potest felicitatem, quam
præparasti diligentibus te. Sed præter te
Domine, qui hanc felicitatem tribuis, ne-

Martius.

mo est, qui eam concipere possit: quemadmodum nemo fuit præter te, qui eam mihi mereri potuerit, & facere possit, ut eam possideam.

III. Quando tandem, mi Iesu, gaudebo illa felicitate, cuius tu principium, & objectum es? quando divinam faciem tuam contemplantur? quando te *revelata facie* intuebor? quando gloriam Regni tui admirabor? quando eris mihi omnia in omnibus? quando animam meam potabis torrente voluptatis tuæ, qui inundat sanctam Civitatem Sion? quando inebriabis me sanctis illis delicijs, quibus affluit Domus tua? *usquequo inimici mei insultantes mihi dicent: ubi est Deus tuus?* Deus ille, qui scopus est desideriorum tuorum, & qui solus reddere te felicem potest? *ubi est Deus tuus?* Confunde eos Domine, & solare me, desideria mea explendo, & expectationi meæ satisfaciendo; quæ alia non est, præter te. *Quæ est expectatio meæ? nonne Dominus?* scio, te à me videri non posse, quin moriar. Ad hoc ego ex toto animo contentio. Articulus mortis, erit mihi articulus gratiæ. Moriar igitur, mi Domine, ut videam te, vel videam te, ut moriar!

Psal 41.
v. 3.

Psal 38.
v. 8.

Imitare praxin S. Patris nostri Ignatij, qui Martius,
caelestibus contemplandis continuo intentus dice-
bat: quàm sordet mihi terra, cum Cælum aspicio!

Quàm dilecta tabernacula tua Domine
virtutum! concupiscit, & deficit anima
mea in atria Domini: Psal. 83. v. 2.

Uno perfruemur; sed ipsum unum om-
nia nobis erit. Aug.

DIES XV.

Conversio non differenda.

K.

SI poenitentiam procrastinas, vel credis,
inquit S. Bernardus, DEUM tibi pec-
cata tua remissurum, vel non credis? Si
credis, non remissurum; quæ major a-
mentia, quàm hostem potentem, spe om-
ni veniæ obtinendæ præcisa, offendere,
& augendo flagitia, supplicia sua augere?
Si credis, DEUM adeò Misericordem esse,
ut, licet multoties eum offenderis, non
cessaturus sit tibi ignoscere; quænam tur-
pior malitia, quàm DEUM magis, magis-
que offendendi ansam sumere ex eo, quod
re ad ipsum amandum impellere deberet?

Quàm inaudita ratiocinandi methodus,
inquit Tertullianus: DEUS bonus est, ita

P 5

909

Martius.

que malum me esse oportet. DEUS adeo benignus est, ut facile mihi sit parsurus; igitur omnem peccandi timorem excutere licet; DEUS tam patiens est, ut lubens me roleret, vitæque meæ emendationem patienter expectet: ideo ego eò insolentia progrediar impunè, ut indefinenter eum offendam. Potestne Christianus quispiam, homo quispiam, ipsemet Dæmon hunc in modum ratiocinari?

II. Vel credis, DEUM tibi breve temporis spacium concessurum, quo vitæ tuæ emendationi studeas, vel credis, eum tibi longius concessurum? si credis parum temporis tibi superfore, cur non omnia tam brevis, & pretiosi temporis momenta utiliter impendis? si credis, multum temporis superfore, quantopere ob id ei non obligaris? & qua ratione melius testari gratum animum potes, quàm si tempus tot alijs negarum, tibi que ex mera benignitate concessum ei mitigando, & amando tribueris? DEUS, inquit sapiens, tibi tempus non dedit ad se offendendum. Quam abominandum igitur ingrati, & iniqui animi vitium est, eò non nisi ad peccandum uti? hoc autem facimus, si morum nostrorum correctionem differimus. Pœnitentiam ob causam tam injustam procrastinare, an-
non

non idem est, ac periculo se exponere eam. *Mattiu s.*
nunquam agendi?

III. Vel credis, te olim pœnitentiam
acturum de peccatis, quæ committere per-
gis, conversionem tuam differendo, vel
non credis? si non credis, igitur despera-
tus es, & reprobatus. Quid infelicius?
si credis: quanta fatuitas, voluptatem ca-
pere è re, cuius te pœnitere necessariò de-
bet, nisi perire velis! è re, quam deplora-
turus es vel in hac, vel in altera vita? si in
scelere tuo suavitatem semper experiris;
funesta sanè suavitas, quæ dolore & ama-
ritudine terminabitur æterna! si verò ad
tuam utilitatem scelerata hæc voluptas per
verum dolorem de ea concipiendum in a-
maritudinem mutari debet, quæ verum
haurire gaudium potes ex actione, quæ
summo tibi olim dolore stabit!


*Erubescere, quòd Dei patientia toties abusus
fueris, veluti incitamento ad differendam vitæ
in melius commutationem, & statue hanc inju-
riam sarcire ex hac hora animum applicando ad
seriam vitæ emendationem.*

Nemini dedit spacium peccandi. *Eccli*
15. v. 21.

Magnum Misericordiæ tempus non
transseat: venturum est iudicium; erit tunc
pœnitentia, sed infructuosa. *Aug. in Psal.*

DIES

Martius.



DIES XVI.

De fructibus Pœnitentiæ.

I.

Luc. c. 3.

Facite fructus dignos pœnitentiæ. horrabatur S. Joannes Iudæos; atque hoc etiamnum hodie omnibus Christianis inculcat; nullum hîc Verbum est, quod non sententiam aliquam contineat. *Facite*, inquit; non satis est pœnitentiam dicere, sed eam agere oportet. Multi sunt; qui pœnitentiam dicunt, sed pauci inveniuntur, qui pœnitentiam agunt. Omnes ferè pœnitentiæ hodie in verbis consistunt. At ubi sunt effectus? formulas quidem contritionis sæpe recitamus, quibus tamen cor nulla ratione afficitur. Hæc verba sunt. Pollicemur, nos vitam in melius commutaturos, quin id executioni unquam mandemus. Hæc verba sunt. Recitamus dein preces illas vocales, quas Conscientiæ arbiter nimium forsan lenis totius pœnitentiæ loco persolvendas injungit; hæc verba sunt. Sed unum adhuc addo: ubi sunt effectus? horum nihil invenitur. An non hæcenus pœnitentia tua tota his constabat? Et quid sunt verba, si sola sunt.

lunt, nisi ventus? quid igitur causæ habes Martius, 14
delictorum tuorum sperandi veniam?

II. Non satis est pœnitentiam agere; sed fructus etiam pœnitentiæ facere debemus. Multi non absimiles sunt illi ficui Evangelicæ, quæ ornata quidem folijs erat; at præter folia nihil habebat; sic etiam illi folia habent ad se regendos, aliòsque, & semetipsos decipiendos; externas videlicet pœnitentiæ species: accusant se, veniam à DEO flagitant, omnia pollicentur, promissis non staturi. Hæc folia sunt, & externæ pœnitentiæ species. At quid de animo sentiendum? estne ejus dolor sincerus? estne voluntas peccatum vitandi efficax? Minimè. Sunt, qui folia habere non contenti, ad quosdam pœnitentiæ flores proferendos progrediuntur, & cum sponta dicere possunt, apparuisse flores in terra cordis sui. Hi dolore tangi videntur, aliquas lacrymas fundunt, conatus aliquos adhibent. Flores sunt, qui fructus polliceri videntur: sed contagiolus innadi aër, cui se facile rursus exponunt, occasiones, quibus se committunt, voluptates, ad quas revertuntur, totidem sunt veluti venti perniciosi qui efficiunt, ut flores exarescant, decidant, & justam fallant expectationem, quæ de ipsis

ocn-

Martius,

concepta fuerat, videndi fructus, ex ijs prodituros.

III. Sed non sufficit fructus pœnitentiæ edere; dignos quoque pœnitentiæ fructus facere oportet; id est, pœnitentiæ, quæ, quantum fieri potest, respondeat Majestati Dei, quem offendimus, magnitudini & multitudini peccatorum, quibus eum offendimus, ac malitiæ, qua offendimus? Si tres hæc regulas sequamur, ad quam nos pœnitentiæ perfectionem non perducunt? Habentne pœnitentia tam levis & imperfecta, ut nostra, proportionem aliquam cum Majestate Dei? potestne sarcire injuriam, qua eum affecimus? habentne Orationes quædam breves, minusque ferventes comparationem aliquam cum magnitudine & multitudine peccatorum nostrorum? sũntne ijs delendis pares? habentne satisfactiones tam debiles, & socordes quales nostræ sunt, aliquam proportionem cum perverso nostro & ingrato animo? possũntne Deum mitigare, & peccatorum veniam obtinere? an non hujuscemodi pœnitentia argumentum, & causa novæ pœnitentiæ futura est?

Confundere ad memoriam tuarum infructuosarum pœnitentiarum, tibi que meritò time, ne in te cadat maledictio ficus illius sterilis, quæ non nisi folia habebat.

Fig-

Digna pœnitentiæ opera facientes, Martius,
& A. 26. v. 20.

Pœnitentia crimine non fit minor. Cy-
prian de lapsis.

DIES XVII.

De relapsu in peccatum.

I.

QUI fit, ut semper in eadem peccata
recidas, nisi, quod medijs, quæ te
ab ijs defendere possent, non utaris, nisi,
quod peccato efficaciter renuntiare nolis?
Nam efficaciter id velle, est media usur-
pare. Tu verò eo te abdicandi contentus
es voluntate vaga, & generali, quæ aliò
non collimat, quàm ut te inutiliter occu-
per, & decipiat. Sic velle, est nolle;
vel certè, non velle eo modo, qui ad pæ-
nitentiam sufficit. Credisne verbis ali-
cujus ægri asserentis, sanari se cupere, cum
tamen nullam admittere medicinam ve-
lit? an non & tu eadem navi navigas?
quis tibi persuadeat, te animæ tuæ salutem
seriò desiderare, cum omnia ferè media
negligas, quæ eam tibi asserre possent?

II. Forſan media quædam adhibere ſta-
tueres ſed non ea, quæ tibi proponuntur,

nec

Martius.

nec ea, quæ tibi salubriora sunt. Illa nimis aspera tibi videntur; ista, inquis, nimis importuna sunt, & molesta. Atque hoc ipsum ostendit, voluntatem tuam, peccatum vitandi seriam non esse. Visne huius rei argumentum? si hæc ipsa remedia tibi afferrentur ad reddendam corpori tuo graviter afflicto sanitatem, nec momentum deliberares; imò & commoda tibi videntur. Qui ergo fit, ut ea tibi videantur intolerabilia, ubi de vitæ tuæ emendatione agitur, nisi quòd salutem corporis, non item animæ efficaciter desideres? Hoc & non alio modo ad bonam frugem se recipere velle, est reapse penitus nolle: cum hæc voluntas talis non sit, qualis ad poenitentiam sufficit.

III. Sed obstacula, inquis, remedijs potentiora sunt. Atque hæc relapsuum lunt origo. At quænam sunt hæc obstacula? non alia, quàm isthæc prava animi affectio, istud commercium, ista occasio. Dic mihi: adhibuistine vel modicam diligentiam hisce obstaculis superandis? impendistine serium conatum huic animi affectioni vincendæ? intulistine tibi vim aliquam ad propensionem hanc, quæ te ad hoc objectum trahit, quæ hac te occasione involuit, edomandam? an non absque
ulla

ulla fere resistentia eò te abripi passus es? Martius,

Hæc obstacula magna sunt; verum si ea perfringenda forent, ad jacturam bonorum, sanitatisve tuæ evitandam, vel litem aliquam evincendam, te non terrent; ea tamen horres, ubi de peccato vitando agitur. Unde hoc discrimen oritur, nisi è discrimine voluntatis, qua talia cupis? Unum nempe efficaciter cupis; non item alterum. Cum itaque voluntas tua peccatum fugiendi efficax non sit, ane sinceram pœnitentiam tuam esse credis?

Statue uti medis, quæ lumen gratiæ, vel Confessarij instructio te docebunt, aptiora esse ad peccatum fugiendum, & relapsum impediendum.

Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas. *Ferem. 2. v. 36.*

Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. *Aug.*

DIES XVIII.

De Cæcitate animi.

I.

Cæcitas animi potissima peccati causa est. Quivis peccator cæcus est; nec peccator esset, si cæcus non esset. Si Deum, si seipsum, si peccatum cognosceret, id

Q

nun-

Martius. nunquam committeret. Possétne, si Deum cognosceret tam grandem, tam bonum, tam justum, uti revera est, eundem contemnere, odisse, injuria afficeré? Possétne, si seipsum cognosceret, adeò miserum, adeò à Deo pendentem, sicut re ipsa est, se Deo præferre, sicut facit, cum lethale scelus admittit? Possétne, si peccatum cognosceret tam horrendum, quàm est, tam Deo oppositum, tam sibimetipsum funestum, plus, quàm Deum amare? Possétne, si illius cognosceret effectus, & mala infinita, summi boni id habere loco? Possétne inquam? *Domine ut videam.* **Luc. 18.** *v. 41.* Domine oculos meos; illumina mentem meam, medere cæcitati meæ, ut bonitatem tuam videam, eamque amem; vilitatem & miseriam meam, ut me contemnam, & omnem peccati deformitatem, ut eam averser, & fugiam.

Eccl. 11. *v. 16.* II. Cæcitas animi non causa duntaxat, sed & effectus peccati est. Modo enim quasi prodigioso id generat, & ab eo generatur. *Error, & tenebræ,* inquit Spiritus sanctus, *peccatoribus concreata sunt.* Mox, ac peccatum cor ipsius occupat, lumen inde expellit. Homo, ut primùm peccator fit, cæcus evadit. Primus homo, in abundantia omnium luminum naturalium crea-
rus

Martius, 7

rus fuit: at cum peccatum ei aperuit oculos ad ostendendam ipsi nuditatis suae turpitudinem, eosdem ei clausit, ut alia objecta non videret. Ubi is ad scientiam sibi non convenientem aspiravit, ad ignorantiam, & errorem condemnatus fuit. Quis fit, ut homo iste tam perspicax, in omnibus alijs tam prudens, veritarum fidei, quae salutem ejus spectant, tam ignarus, & caecus sit? quis fit, ut tam miserè ratiocinetur, tamque imprudenter agat? causa est, quod peccator sit. Omnium aliorum gnarus, in arte salutis peregrinus est, puer est. Et quid tamen reliqua omnia proderunt? si artem aeternam salutem consequendi ignorat?

III. Caecitas animi est paena peccati, & quidem paena terribilis. Peccator, inquit Servator, lucem fugit, & tenebras quaerit, Deus eum puniturus in illis eum relinquit; neque enim crudelius eum castigare potest, quam ei concedendo, quod optat. Peccator ob caecitatem suam felicem se reputat, cum Deus hanc terribilissimam peccatoris esse paenam judicet. Caecitas, qua Deus eum plectit, Divinae Lucis radios ei subtrahendo, justissimum, & summè horrendum supplicium est caecitatis voluntariae, cui semet ipse peccator

Q 2

ad

Marius. addixit. Visne, Domine, te vindicare; ut Deus, dixit Propheta, *excæca cor populi hujus, ut videntes non videant?* an non tua in salutis negotio stupiditas signum tuæ cæcitatatis est? qui corporis oculis captus est, cæcitatem suam ignorare non potest. Cæcitas animi, quò major est, eò minùs sentitur, minùsque cognoscitur. An non hæc est, quæ forsan mentem tuam adeò tranquillam reddit?

Luc. 18. *Frequenter à Deo pete cum illo paupere in Evangelio: Domine ut videam, tu es lux mundi, illumina me.*

Excæcavit enim illos malitia eorum. *Sap. 2. v. 21.*

Spargens pænalos cæcitates super illicitas cupiditates eorum. *Aug.*

DIES XIX.

Directioni Divinæ se committere decet.

I.

QUàm felix est anima, quæ divinæ directioni penitus se tradit! est enim secura, se à Deo nunquam desertum iri, licet ab omnibus creaturis deseratur. Si Deus eam ducit, & protegit, quis ei nocere potest? *S. Josephus, cujus hodie festus*
 Dies

Dies agitur, perfectè suimet in Dei directionem traditionis elegans Exemplum est. Perfectio ejus consistit primò in eò, ut quis divino ductui se credat etiam tunc, cum is prorsus adversari nostris commodis, & propensionibus videretur. Præcipua nostra, vel potius unica inclinatio esse debet, inclinationem Dei sequi. Angelus Dei nomine Josepho præcepit, ut cum JESU in Ægyptum fugeret; omnia Josepho suadebant, ut in Judæa persisteret, sua commoda, sua inclinatio, cognati, amici, habitatio, quies, necessitas, vitamque sustentandi facilitas, totidem erant vincula, quæ ipsum patriæ suæ alligabant. Ea tamen nulla prævia deliberatione rumpit, nec unicum moratus momentum; voluntate divina ex Angelo intellecta nec commodum suum, nec propensionem ampliùs audit: neque enim aliam propensionem habet, quàm huic voluntati morem gerendi.

II. Perfectio hujus in divinam voluntatem traditionis secundò requirit, ut quis ductui divino se permittat etiam tunc; cum illius rationem non perspicit. Voluntas divina unica ratio est hominis Deo perfectè se committentis; quævis alia ratio, quæ ei proponitur, imminuere ei videtur me-

Martius,

ritum ob hoc ipsum, quòd impediatur, quò minus homo divinæ directioni perfectè se committat: non enim omnia voluntati divinæ committeret, si quid rationi relinqueret. Hoc manifestè cernitur in ratione agendi S. Iosephi: fuge, ei dicitur, exi, discede in Ægyptum; at, quare tam promptè? quare nocturno tempore? quare tempestate adeò incommoda? quare in regionem tam remotam? Vox *quare* locum non habet apud virum, qui tam perfectè divinæ directioni se credidit, ut S. Iosephus. Nullus hîc deliberationi locus est, nullius rei ratio vel redditur, vel exigitur. Deus id vult; hæc ei unica ratio est, & sufficit, proin nec deliberat, nec ratiocinatur; sed viæ se committit. Quanta in hoc agendi modo ratio, qui rationem à Deo non exigit, & quantopere is vanas nostras condemnat ratiocinationes!

III. Perfectio hujus traditionis terriò requirit, ut divinæ directioni tunc etiam nos permittamus, cum rationi nostræ adversari censetur. Fides nostra tam perfecta nunquam est, quàm, ubi credimus veritates, quas non modò non pénétramus, sed eas quoque, quibus contrarium sensus nostri, omniâque præjudicia nobis proponunt; imò abdicatio nostri ipsorum tam
per-

Martius 14

perfecta nunquam est, quàm ubi nos voluntati divinæ tunc committimus, cùm ea rationationibus nostris repugnare iudicatur: Ut in Divo Christi Nutritio videre est. Jubetur is cum Servatore in Ægyptum fugere: quomodo hic servabit alios, dicere poterat, qui seipsum servare nequit? Si fugiendum est, cur discedendum in Ægyptum, ad idololatrias? cur non potius ad Magos proficiscendum? sola Dei voluntas plus in animum Josephi potuit, quàm omnes aliæ rationes. Hæc ipsi rationes amplius non censentur, ubi jussui divino adversantur. Hoc imperium unica ei regula est, totaque sic agendi ratio. Quàm hæc fuimet abdicatio in Josepho mirabilis est! at quantopere ea confundit vanas nostras inquietudines, humana nostra desideria, inutiles timores, immoderatasque præcautiones. Committamus nos Deo, & omnia in hac nostri abdicatione inveniemus.

Pete à s. Josepho, ut tibi gratias obtineat necessarias ad imitandam ipsius in divina voluntate sequenda promptitudinem.


Omnem sollicitudinem projicientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis 1. Petri 5. v. 7.

Projice te in eum; non se subtrahet, ut cadas. Aug.

Q4

DIES

Martius,



DIES XX.

De Neglectu Minimorum,

I.

HOc, inquiunt, nihil est, defectus levis est, exigua quædam regula, modica gratia; quid periculi subest, si negligatur? sed parcius hæc: nihil enim leve est in eo, quod refertur ad Deum adeò magnum; in eo, quod ipsi placere, vel displicere potest. Nihil est exiguum in eo, quod promovere, vel impedire potest tantum negotium, quantum est negotium nostræ salutis, aut perfectionis; nihil parvum est in eo, quod efficere potest, ut gradum aliquem gloriæ æternæ mereamur, vel amittamus. Non est res modica in omnibus rebus modicis fidem esse. Magni signum amoris est, ei, quem amamus, in omnibus placere velle; nec in ulla re displicere, quantumvis ea modica videatur. Si exspectare velis, donec occasiones grandia pro Deo præstandi sese offerant, quando ea præstabis? quàm raræ in vita huiusmodi occasiones dantur? Præterea, potestne creatura tam exigua magnum reputare, quidquid demum pro Deo facit? magnitudo di-

divina magnum reddit, quidquid contra Martius, se à nobis committitur, facitque exiguum, quidquid ad se honorandam exercetur.

II. Hoc, inquit, non est, nisi modicum quid. At Filius Dei asseverat, eum, qui in modico fidelis est, etiam in magnis fidelem fore; & qui in modico infidelis est, infidelem quoque in magnis fore. Terribile dictum, si id penetremus, si id credamus. Verum, possumusne de eo ambigere, postquam ex ore Dei prodijt? maxima incendia non rarò initium sumunt ab unica scintilla, quæ extincta non fuit; & maxima peccata à delicto levi, quod admissum est; reprobatio hominis ab unius gratiæ contemptu. Saul specie quadam necessitatis impulsus Samuelem non expectavit, ut sacrificium offerret. Hic, etsi levis videatur defectus, cor tamen Dei erga ipsum mutat, & initium ipsius reprobationis facit. Quàm terribiles effectus non habuit aspectus Davidis minùs cautus? modicæ infidelitates, leviæque furta Judæ ipsius avaritiam roboravêre, & ipsum eò denique deduxêre, ut Magistrum suum venderet, & seipsum ex desperatione suspenderet.

Luca 15.
v. 10.

III. Non est, inquis, nisi modicum quid. At eam ipsam ob causam minore tibi labo-

Q5

re

Martius.

1. Reg. 5.

v. 13.

re stabit; sicque minùs excusabilis eris, si id negligas. Difficultas rerum ignaviæ nostræ obtentus esse potest: sed ubi faciles sunt, quænam excusatio afferri potest? si Propheta, dicunt servi Naamani Domino suo, tibi suassisset rem quampiam difficilem ad sanitatem recuperandam, certè facere debueras; at cum remedium adeò facile, ut videlicet septies te laves, tibi præscribat, qua ratione, nisi fædissimam imprudentiæ notam incurrere velis, id respicere potes? postquam Christus Dominus tanta pro nobis fecit, & subiit, si grandia, difficilia â nobis exigeret, possemusne sine ignavia, & ingrati animi vitio, ab ijs nos eximere? & tamen pleraque, quæ â nobis requirit, modica, & facilia sunt. quo igitur prætextu hæc ei negare possumus?

Statue nunquam leve reputare, quidquid Deo placere, vel displicere, tuæque saluti prodesse, vel obesse potest.

Qui timet Deum, nihil negligit. Ecclesi. 7. v. 19.

Non est minimum, in minimis se relinquere. Imit. Christi.

DIES

DIES XXI.

De Mortificatione Christiana.

I.

OMnes illi, qui Christi sunt, inquit Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Necessario proin renuntiare Christianismo debet, qui animi, sensuumque suorum motus edomare recusat. Omnia, quæ Christianismum constituunt, gratia, axiomata, & exempla Christianos ad id obligant; præsertim verò gratia, quæ nos Christianos efficit, quacunque ex parte spectetur, ejus necessitatem nobis injungit inevitabilem. Si gratiam istam consideremus in sua origine, à Deo Redemptore prodit, nimirum à Deo patiente, à Deo Cruci affixo. Gratia originaria, quæ data fuit homini innocenti, erat gratia Dei Creatoris, hoc est, Dei felicitis, Dei gloriosi, & hoc propterea, quia hæc erat gratia suavitatis, & deliciarum, quæ hominem ex hujus vitæ gaudijs evectura esset ad gaudia sempiterna. At gratia Christianorum, cum sit gratia Dei in Cruce morientis, necesse est, ut ad obtinendam cum suo Principio similitudinem, ad gaudia alterius vitæ, per hujus vitæ afflictationes nos perducatur.

II. Gra-

Martius.

*Nondum us-
que ad san-
guinem re-
stitistis.*

Hebr. 12. 4.

*Non decet
sub spinoso
capite mem-
brum esse de-
licatum.*
Bern.

II. Gratia Christianismi est precium sanguinis Dei. Oportet itaque, ut Doctor gentium ait, animi sui motibus ad sanguinem usque resistere ut illam sibi applicet. Ea defluit è capite spinis coronato: credimusne, eam concedere, ut rosis nos coronemus? monstrum quoddam est, inquit S. Bernardus, membrum delicatum sub capite spinis coronato. Credimusne gratiam, quæ virtutem suam derivat è transfosso latere Corporis vulneribus penitus cooperti, & vitam mollem, ac sensibus penitus addictam sociari inter se posse? Credimusne, æquum esse, ut Filij Dei, in cruce morientis præcipuum studium suum ponant in sectandis hujus mundi delicijs? Nos per Mortem Jesu Christi vitam accepimus; sed eam conservare non possumus, nisi per mortem, qua nobismet ipsis, nostrisque immoderatis cupiditatibus moriamur. Omnes nos filij sumus Montis Calvariae, inquit S. Augustinus: hic enim locus est, ubi Christus vitam per mortem suam nobis dedit. Si cujuslibet natura quiddam à patria sua, ubi is natus est, participat, an non Christiani participare aliquid debent è Monte Calvariae, qui locus est nativitatis nostræ, locus videlicet tormentorum, & dolorum?

III. Si

III. Si gratia, quæ nos Christianos efficit, consideretur, quatenus respicit hominem in gratia constitutum, non minùs efficaciter ea nos obligat ad animi nostri motiones subigendas. Gratia, quæ Adamo ante peccatum collata fuit, hominem sanum incolebat; adeoque nullo medicamento erat opus; incolebat hominem innocentem, & idcirco nullâ dignum pænâ. Verùm post labem originariam, gratia, quæ ad illam eluendam datur, dum Christiani efficitur, invenit hominem peccato obnoxium; adeoque requiritur, ut illum puniat: potestne autem hoc fieri, quin nos pœnis sponte susceptis afflictemus? invenit hominem morbo laborantem; unde necesse est, ut vim habeat medicam, & quod inde sequitur, amaram. Invenit concupiscentiam effrænata, voluntatem corruptam, animi commotiones violentas, carnem rebellem: qui totidem morbi sunt lethiferi: ad quos sanandos oportet immoderata hanc cupiditatem refrænare; has animi commotiones compescere, hanc voluntatem ad rectæ rationis normam dirigere, hanc carnem crucifigere. An hæc omnia fieri sine continua mortificatione possunt? eam verò gravatè amplecti, an non idem est, ac malum suum amare? per-
ricu-

Martius.


Martius.

riculosis morbis teneri, & media necessa-
ria non admittere, an non est perire velle?
an non & tu sic animo comparatus es, si
mortificationem fugis? Exemplum Divi
Benedicti, cujus hodie festum agitur, con-
fundere te, & animare debet. Id si te non
animat, condemnabit te. Is ab infantia
sua severis afflictationibus corpusculum
suum divexavit. Carnem suam castiga-
vit prius, quam criminis rea esse posset;
Innocens, & nihilominus poenitens in
vepribus se volutavit ad extinguendas
proprio sanguine quasdam ignis impuri
scintillas; quas daemon in ipsius corde ex-
citare nitebatur.

*Statue, cum te noveris, qualis reipsa es, &
aegrotum, & culpae reum, amplecti Mortificatio-
nem veluti remedium infirmitatibus tuis saluta-
re, & penam peccatis tuis jure debitam.*

Si secundum carnem vixeritis, morie-
mini: si autem spiritu facta carnis morti-
ficaveritis, viveritis. *Rom. 8. v. 13.*

Carnem afflixisse, & libidinem super-
asse, pars magna Martyrij est. *Aug. serm. 46.*



DIES

Martius,

pignora, En! omnia bona, quæ sacra Scriptura Eleemosynæ pollicetur. En! quid vobis offeratur pro vitro aquæ, pro frustillo panis pauperi porrecto. Estne id hæc bona carò emere, cùm hoc pretio ea nobis comparamus.

Luc. 12,

II. Eleemosyna non solum omnia salutis media nobis accerit; sed cuncta insuper ejusdem obstacula tollit: Peccata nostra salutis nostræ obstacula sunt: Ipsa (eleemosyna) est: Tobias agebat; quæ purgat peccata, & facit invenire Misericordiam. obtinendo nobis dolorem de peccatis. *Date eleemosynam,* inquit Servator, *& omnia munda sunt vobis.* Cùm decies mille talenta justitiæ divinæ debeamus, immensum hoc debitum modica stipe expungere possumus. Quanta felicitas; & quàm facilis compensatio! hoc debitum si non expungimus, culpa penes nos est. *Peccata tua eleemosynis redime;* suadebat Daniel Nabuchodonosori. Ut ut divitiæ plurimos obices divitibus ponant, hoc tamen commodi ipsis suppeditant, quòd illas pauperibus distribuendo exsolvant debita, quæ apud justitiam divinam contraxerunt: reparare enim tenentur immoderatum affectum, quo illis addicti fuerunt, & abusum, quem in eisdem admiserunt. *Israëlitæ I-*

Daniel. 12,
v. 24.

do.

dololatriam suam compensavêre, dum eas ipsas opes, quas ad conflandum vitulum aureum insumpserunt, tabernaculo ædificando impenderunt. Avaritia juxta mentem Apostoli species quædam est Idololatriæ; conemur eam sarcire opes nostras imperitando ædificandis vivis DEI tabernaculis, nimirum pauperibus,

III. Homo in egenos beneficus, cunctis alijs trepidantibus tutus est in articulo mortis, ubi coram Iudice suo comparebit: qui, etsi corrumpi se neutiquam pariat; expugnari tamen argento potest, modò id pauperum manibus committatur. Homo misericors in persona sui judicis debitorem, & cautionem suam invenit. An is emetendus est? Iudex ipse eadem indutus veste, quam ipse pauperi donavit, em videbitur: an non hoc ei grandem inspiret fiduciam? totidem vix non dicam omnipotentes coram iudice advocatos habet, quot egenos juvit, incassum diabolus, & peccata nos accusant, ubi pauperes crimina diluunt: tunc enim Christus nos tuetur: si verò is nos tuetur, quis condemnare nos potest? Christus hominem charitatis studiosum condemnare non potest, si mentem suam non mutare, vel secus agere velit, quàm locutus est: siquidem ex ipsis ejus

R

ver.

Martius.

verbis homo iste rationem erueret valde potentem, se purgandi, & iudicem suum arguendi.

Statue sequi consilium Danielis, & peccata tua elemosynis redimere.

Conclude elemosynam in corde pauperis: hæc pro te exorabit. *Eccli 29. v. 15.*

Date omnibus, ne, cui non dederitis, ipse sit Christus. *Aug. Homil. 39.*

DIES XXIII.

De Exemplo Christi.

I.

Exemplum ingenti potestate in animos nostros pollet: at Exemplum viri cuiusdam magni, puta Regis, longè majus apud nos pondus habet. Amor nostri ipsorum hac in re cum ratione nostra ex pacto ad id nos animat: omnes enim naturæ impulsu magni esse cupimus, nosque magnos fieri arbitramur, si Reges imitemur, qui sublimitatis principia sunt. ^{ante}ne Christo major invenitur, qui non modò Rex, sed Rex Regum est? quàm gloriosum igitur nobis est, ipsum sequi? si ambitione duceris, ad hanc gloriam tibi intendendum, quæ non solum legitima, sed & san-

sancta est. Omnis alia ambitio, dum e-
vehere te viderur, deprimat, quia culpæ
reum te reddit; hæc autem deprimendo te
evehit, quia sanctum efficit.

II. Iraque Christus Rex noster est; & qui-
dem Rex justus, Rex magnus, Rex bonus.
Rex justus est; quod regia ipsius Dignitas
omnibus, iisque iustissimis titulis nitatur.
Primus est ejus Nativitas: natus est enim
Homo-DEUS, & idcirco Dominus universi.
Secundus, res bello partæ: is enim nos sibi
comparavit, dum è diaboli Tyrannide,
& quidem sanguinis sui pretio nos eripuit.
Tertius est Electio: nos enim ipsum nobis
in Baptismo Regem elegimus, & omnibus
ejusdem hostibus renuntiavimus. Pos-
sumusne illæsa justitia clientelare obse-
quium Regi tam justo negare? unicum,
quod exigit, obsequium est imitatio virtu-
tum suarum. Est Rex magnus, quia Ho-
mo-DEUS est, qui in se comprehendit om-
nes excellentias, & perfectiones divinas,
& humanas, omnique in terra, Cæloque po-
testate pollet. Habemusne breviorē
juxta, ac tutiorē ad sublimia pertingendi
viam, quàm, si ipsum sequamur? Rex bo-
nus est: an nobis accidere difficile potest
eum imitari? an non potius in hoc omnem
nostram statuere oblectationem debemus?

R 2 III. Quan-

Martius.

III. Quanto nobis honori est tantum habere Regem? sed & quanto ipsi, nobisque dedecori est, si eundem sequi erubescamus? quàm beati sumus, quòd habeamus tam bonum Regem? quàm è contrario infelices, si commodis, quæ eum imitando consequi possumus, nos ipsos privemus? si Rex aliquis in bello discrimini cujdam se committit, vel opus paulò humilior in se suscipit, nemo eorum, qui aliquid animi habent, est, qui in hoc discrimine ipsum sequi detrectet: nec ullus invenitur optimatum, qui nimium sibi vilescere videatur, dum id facit, quod à Rege fieri cernit; Regis Exemplum actionem hanc præclaram reddit. Quid? Rex aliquis, qui Deo comparatus nihil est, difficultatem, vilitatèmq; quæ certis actionibus affixa esse videtur, eis adimere, imò & eas reddere gloriosas potest? & Exemplum Christi, quem Regem nostrum agnoscimus, quem, ut Deum nostrum adoramus, eandem in nos potestatem non habebit? ubi est fides nostra?

Submittamus nos Christo velut Regi nostro, nobisque persuadeamus, præcipuum officium, quod à nobis exigit, esse, ipsum imitari.

Magister, sequar te, quocunque ieris,
Matt. 6, 8. v. 19.

Sis

Sit tibi via ille, qui tibi pro te factus est **Martius.**
via, ut te perducatur ad se, per se. *Aug. in*
Psal. 90.

DIES XXIV.

De motivis Humilitatis.

I.

GRandia invenimus, submissè nos ge-
rendi incitamenta, sive præterita, si-
ve futura spectemus. Ad præterita quod
attinet, quænam est origo nostra? nihi-
lum, è quo eruti fuimus, peccatum, in quo
concepti fuimus: sed id, quod majorem
nobis demissionis ansam præbet, est pecca-
torum, quæ commisimus, multitudo.
Peccavi. Heu me! ingens sanè me de-
primendi causa! infinitam Dei Majestatem
contempsì; an non propterea contemptu
infinito dignus sum? peccavi itaque, in-
fernum promeritus sum; contemptus, &
horroris omnium Creaturarum, opprobrij,
& ludibrij dæmonum scopus esse deberem.
Et superbire audeo? peccavi; certum est,
me plura peccata mortifera perpetrâsse: sed,
an ea mihi remissa sint, ignoro: dubitare
non possum, quin inferorum tormenta fue-
rim meritus; sed ignoro, an non ea etiam-

R 3

num

Martius.

num merear. Quid terribilius? quid ad arrogantiam meam frangendam aptius? quænam superbia obsistere huic cogitationi potest? mea, Domine; nisi me tuis gratijs, & quidem potentibus ad eam superandam adjuves.

II. Si præsentia consideremus, ingentes nos demittendi causas, potentia humilitatis motiva invenimus in eo, quod in nobis ipsis sentimus. Eheu! quid sentimus, quid invenimus in proprio nostro fundo? impotentiam extremam cum vehementi repugnantia adversus bonum conjunctam, & violentissimam ad omne malum propensionem. Cum mali simus, malum bonum, & bonum malum reputamus: Necessarium est, ut gratia nos à nobismetipsis abstrahat, ut ad bene agendum impellat. Si tamen bona quædam agimus, quàm pauca ea sunt? Atque etiam hæc pauca, quæ agimus, quantis imperfectio- nibus permista sunt? quanta socordia, quanta inconstantia, quanta intentionum vilitas, quot hominum respectus, quantum proprii commodi studium non irrepunt in actiones nostras etiam sanctissimas, quæ non rarò bonum in malum convertunt, ob modum, quo illæ fiunt? si igitur ipsæ nostræ virtutes, & opera bona humi-
lira-

liratam nobis suadent, quid de vitijs, & Martius.
peccatis nostris sentiendum?

III. Si futura perpendamus, ingentem materiam nos submissè gerendi, & magnum humilitatis motivum invenimus? sumne prædestinatus? sumne reprobatus? consequarne salutem æternam, an ad inferni pænas condemnabor? de hoc mihi non constat; quantam nostri despicientiam hæc incertitudo inspirare nobis potest? id scio, me salutem æternam sine gratia perseverantiæ non obtenturum. Sed pro dolor! hanc gratiam mereri non possum, nec eam, quod hinc sequitur, mihi polliceri: nam qua re nixus eandem mihi pollicear? voluntate Dei? ea mihi hac super re cognita non est? *quis cognovit sensum Domini?* voluntate mea; quæ tam perversa, tam debilis, tam inconstans est? bonis meis operibus? Eheu! opera excellentissima hanc gratiam promereri non valent. Gratijs, quas accepi? quis mihi asseverare potest, me ijs fidelem fore? quis plures accepit gratias, quàm Salomon? probabilissimum tamen est, eum gratia perseverantiæ fuisse destitutum: perfectione status mei? éstne is perfectior statu Iudæ? socius & Apostolus Christi, ejusdem virtutum & miraculorum testis,

Rom. II.
v. 34.

R. 4

pro-

Martius.

ditor fit, & Apostata, moriturque desperatus. Si columnæ Firmamenti fuerunt everſæ, an nos, qui fragiles fumus arundines, trepidandi, nosque abijciendi causam non habemus?

Statue, continuò te conservare in spiritu demissionis, & timoris coram Deo; cùm hoc sit unicum medium, securum te reddendi.

Humiliatio tua in medio tui. *Mich. 6. v. 16.*

Cogitas magnam fabricam construere Celsitudinis, de Fundamento prius cogita humilitatis. *Aug. serm. 10. de v. D*

DIES XXV.

De Annuntiatione B.MÆ. Virginis.

I.

Mysterium Annuntiationis Mysterium est excellentiarum Mariæ, earundemque origo; cùm in hoc Mysterio Mater Dei renuntietur. Deus quantumvis Omnipotens sit, puram Creaturam ad sublimiorem dignitatem evehere non potest. Potest, inquit sanctorum Patrum aliquis, facere Mundum excellentiorem eo, quem
Crea-

Creavit, sed excellentiorem Matrem, *Martius,*
quàm Matrem Dei, facere non potest.

S. Ildephonsus eò usque ascendit, ut etiam
in Cœlo, atque ipsa sanctissima Trinitate
Idæas quærat, quæ hanc excellentiam
comprehendere nos doceant. Is censet,
quòd, quemadmodum æterna Verbi divi-
ni generatio prototypon est generationis
temporalis Christi, sic paternitas, ut ita
loquar Patris æterni prototypon sit Ma-
ternitatis Mariæ; quid sublimus? & verò
inveniuntur hic similitudines, & differen-
tiæ ejus gloriæ ex æquo faventes. Pater
Æternus solus in sinu suo filium suum è
propria substantia in æternitate generat.
Itaque Verbum Patrem habet sine matre,
Et Maria sola eundem filium in gremio suo
è sua propria substantia in tempore concipit;
sicque Verbum in generatione tempo-
rali Matrem habet sine patre: Pater Æ-
ternus solus eum ita generat, ut nemo hu-
jus gloriæ habeat partem; sed & Maria
sola eum in modum filium suum concipit,
ut sponsum habeat spiritum sanctum, qui
operam suam ad hujus filij conceptionem
contulit, quin tamen ejus pater fieret.

II. Pater Æternus in sanctissima trini-
tate seipsum contemplando filium suum
generat, quia per fœcundam hujus Con-

Martius.

templationis virtutem, qua seipsum intuetur, Verbum suum gignit, participem nempe substantiæ suæ imaginem, à prototypo suo substantialiter (ut Theologi loquuntur) non distinctam. Et Maria per considerationem sui ipsius, à propria humilitate sibi imperatam eundem concepit

Bern.

filium. *Ex humilitate concepit*, eumque juxta similitudinem suam concepit; hoc tamen discrimine, quòd Pater Æternus perfectiones suas infinitas intuendo generet filium suum, & propterea generet infinitè perfectum, sicut ipse est, sibi que in omnibus æqualem. E contrario, quia Maria hunc ipsum filium in tempore concepit, vil-

Luc. 1. v. 48.

litatem & nihilum suum intuendo: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, idcirco Deum concepit humilem, Deum omnibus suis excellentijs exutum, Deum denique ita penitus comparatum, quemadmodum comparatum erat cor humile Mariæ, cum dixit: *Ecce ancilla Domini*, nimum honorem dignitate ancillæ Domini se reputans, cum ejus Mater renuntiaretur.

III. Pater Æternus in sanctissima trinitate omnia per Verbum suum procreat. Atque hinc nomen Creatoris sortitur. sic Maria in incarnatione omnia reparat per idem Verbum, quod concepit; quod ei

Omnia per ipsum facta sunt. Jo. 1.

pro-

propterea dignitatem Reparatricis Mundi *Marti us,*
perditi tribuit. Atque ita, quemadmo-
dum Creatio Mundi fuit effectus virtutis
unius Verbi, unius *fiat* ore DEI prolati,
sic reparatio Mundi effectus est unius Verbi,
unius *fiat* ab ore Mariæ prodeuntis. Sed Pa-
ter Æternus per actum necessarium sui in-
tellectûs generat Verbum, per quod om-
nia Creat. Et Maria hoc Verbum concipi-
pit, per quod ob liberum suæ voluntatis
consensum omnia reparat, eaque re fit
Mater Dei, fit & hominum Mater, eorûm-
que, ut ita dicam, Corredemprix, & salutis
ipsorum causa. Quanta hæc Mariæ glo-
ria est! potestne pura Creatura majorem
obtinere? hanc totam humilitati suæ de-
bet; nec aliam ob causam Creaturarum
omnium est sublimissima, quàm, quia fuit
humillima. estne hæc via, quâ ad gloriam
tendis?

*Ora B: V: quæ, cùm fit Mater Dei, etiam
Mater hominum efficitur, ut sit Mater tua & te
amore prosequatur materno. Conare hunc me-
reri per eam, quæ filium decet, erga illam, con-
fidentiam.*

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.
fecit mihi magna qui Potens est. *LUC. 2.
v. 40. & 49.*

Ut

Martius.

Ut sicut sine ipso factum est nihil, ita
sine ipsa nihil reffectum sit. *Dam.*

DIES XXVI.

De Mysterio Incarnationis.

I.

Mysterium Incarnationis, inquit 'Apo-
olus, magnum, incomprehensibile,
& ineffabile Mysterium est; à Concilio
divino, à tota retro æternitate constitutum,
& in tempore executioni datum, Divino
decreto sancitum, sanctis Angelis revela-
rum, hominibus annuntiatum, à Iudæis
negatum, ab ethnicis creditum. Myste-
rium, quod Patri cœlesti principium est
infiniæ gloriæ, filio infiniæ depressionis,
dignum spiritus sancti opus. Mysterium,
quod est omnium aliorum Mysteriorum
Fundamentum, præcipuus fidei nostræ
scopus, spei nostræ fulcrum, charitatis no-
stræ illicium, vitæ nostræ Exemplum,
omnium gratiarum, & benedictionum
nobis origo, causa nostræ salutis, & olim
felicitationis nostræ objectum. An non igi-
tur hoc nunc esse debet potissima medita-
tionis nostræ materia, & vitæ nostræ re-
gula?

II. Pete

II. Pete, inquit, propheta Achazo Re-
 gi, signum, quod eodem tempore profun-
 dam depressionem, & inauditam elevatio-
 nem complectatur. Hoc signum est, di-
 vinæ, humanæque naturæ in Christo con-
 sociatio; in quo Mysterio Creatura tan-
 tum elevatur, quantum elevari potest, &
 dum Mater Dei evadit: ubi Deus ita de-
 primitur, dum humanam carnem assu-
 mit, ut deprimi magis non possit. Deus
 solus deprimere se propriè non poterat,
 cum Majestas ipsius naturæ sit affixa. Ho-
 mo solus propriè se deprimere non pote-
 rat! cum magis demittere se non possit,
 quam mereatur; nihilum enim ejus prin-
 cipium, & centrum est; potèstne se pro-
 fundius demittere? Iraque non erat, nisi
 unus Homo-Deus, qui se demittere posset.
 siquidem, ubi Deus se unijt homini in uni-
 tate personæ, omnes hominis imbecillita-
 tes Deo conveniunt; dici proin potest,
 Deum factum esse hominem, infantem,
 debilem, pauperem, miserum, subjectum,
 obedientem, & non tantum servi, sed &
 peccatoris forma indurum: Ideò Apосто-
 lus ait, eum, qui Patri suo in omnibus erat
 æqualis, dum Homo factus est, in nihilum
 redactum esse. *Exinanivit semetipsum. Si*
Exemplum Dei in nihilum consumpti va-
 ni-

Martius.

*Pete tibi sig-
 num à Do-
 mino Deo tuo
 sive in pro-
 fundum in-
 ferni, sive
 excelsum su-
 pra. Isa. 7.*

*Philip. 2.
 v. 7.*

Martius. nitati nostræ efficaciter mederi non potest, an non ea penitus insanabilis est?

III. Nihil melius demonstrat, quid sit gloria Dei, quantum ejus pretium, quantum ad eam promovendam agere, quantum pati nos deceat; quàm videre Hominem-Deum, ut eam repararet, ad nihilum redactum. Mundorum millio, Creaturis Angelorum præcipuò perfectioribus plenus gloriæ Dei immolatus tam potenter in illius cognitionem me non adduceret, quàm ubi video Deum humana carne indutum, Hominem-Deum immolatum, ad nihilum depressum, ut eam instauraret. Si Dei ad nihilum depressiones gloriæ divinæ pretium concipere me docent, tunc eadem gloria tam profunda Dei ipsius demissione reparata, satis superque ostendit, quanti pretij, quantæ virtutis sint, depressiones & despicientiæ. Ah! si hoc probè perpendissem, horreremne tantopere humilitatem Christianam? accideretne vel minima mei depressio mihi tam molesta? inveniremne tantum difficultatis in modico honoris puncto divinæ gloriæ consecrando, postquam Homo-Deus ad sui usque abjectionem ej se immolavit.

*Statue deinceps, Exemplo Christi omnem gloriam tuam in tui despicientia ponere; cum hoc
sic*

fit medium aptissimum ad gloriam Dei reparandam, tuamque procurandam, si Christo similem reddideris. Martius.

Semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Propter quod & Deus exaltavit illum. Philipp. c. 2. v. 79.

Intolerandæ superbæ est, ut, ubi exinanivit se Majestas, vermiculus inflatur. Bern. 1. de Orat.

DIES XXVII.

De Contemptu Mundi.

I.

UT Mundum contemnamus, sufficit eum nôsse. Magni eum æstimamus, quia eum non cognoscimus. Mundus Christum contemnit, & odio ab eo diffidet: an nos, qui Christiani sumus, post hac nobis honori ducere possumus, quòd Mundi simus amici? Christus nihil adeò cum verbis, tum Exemplis prædicat, ut Mundi corrupti contemptum, nihil magis nobis commendat, quàm ut ei placere non cupiamus. Attendite, inquit, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Cùm or-

ra-

Martius.

laveris, intra in cubiculum tuum, & ora Patrem tuum in abscondito; ut ipse solus sit testis orationis tuæ, quemadmodum solus ejusdem scopus est. Tota pœnitentiæ tuæ austeritas in seipso sit abscondita. Si artis cujusdam arcanum tibi committitur, id eò fit, ut illud tegas, & hominum oculis subducas; Hi enim similes sunt oculis basilisci, qui venenato suo aspectu interimunt.

II. Christus Dominus imperare sibi non potest, quin reprehendat vanam Apostolorum oblectationem ob applausus, qui ipsorum Zelo & miraculis fiebant: ostendit ipsos, majorem timendi, quàm sibi blandiendi rationem habere, atque idem inanis gloriolæ desiderium, quod diabolum ad inferorum barathrum præcipitârat, etiam ipsos in eandem conjicere miseriam posse: In Mundo, inquit: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed. qui major est in vobis, fiat sicut minor & qui præcessor est, sicut Ministrator, ne se decipi, aut falso sublimitatis Mundanæ splendore oculos sibi perstringi patiantur. Et alibi eis ostendit, id, quod magnum hominibus videtur, frequenter non vile duntaxat, sed & abominandum*
coram-

Luc. 22.

Luc. 16.

Martius.

coram Deo esse, & proin non tantum contemptus, sed & horroris scopum esse debere. An tibi de hac veritate persuasum est? si persuasum tibi esset, forsne adeo fascinatus ab omnibus ijs, quæ grandia dicuntur? hic tamen est articulus fidei. Hunc si vel credere, vel infidelem esse, necesse est, pauci profecto in Mundo verè erunt Christiani. esne tu eorum unus?

III. Christus Dominus Mundi contemptum efficacius adhuc suis Exemplis, quam axiomatis docuit. *Non quero*, inquit, *gloriam meam*. Imò eam nihili pendendo, si eam gloriæ Patris mei comparem. Si gloria Christi, quatenus Homo est, nihili pendi debet, quid de gloria omnium hominum sentiendum? Iste, qui ignominiam Mortis suæ omnibus adeo notam reddere voluit, prodigia Nativitatis suæ in paupertate alicujus stabuli, & in tenebris noctis occultavit: Zelum suum, & admiranda naturæ dona officinæ fabrilis obscuritati triginta ipsos annos inclusit. Cum à Patre suo in publicum prodire iussus esset, homines bardos, nullis naturæ dotibus præditos, nullis meritis conspicuos, ac proin authoritatis Magistro suo conciliandæ incapaces discipulos elegit. In magnis civitatibus rarò comparuit, non

Ioan. 8.

v. 45.

S

fa-


Martius.

facile cum opimatibus, semper ferè cum pauperibus versatus. Ubi prodigia paravit, eorum splendorem precibus ad Patrem directis temperavit: ea, ne publicarentur, sæpe prohibuit: non rarò applausibus, quos illa ipsi conciliabant, fugâ se subduxit. anne major Mundi contemptus inveniri potest? Atque id tantò magis stupendum est quantò magis Christus Dominus omne gloriæ genus merebatur; quantòque ea minús ipsi periculi afferebat. Verùm is prototypon nostrum esse, suoque Exemplo nos contemptum gloriæ docere debuit tantopere nobis funestæ?

Erubescere, quòd hactenus aestimaveris, ac dilexeris Mundum, qui Christum contempsit, & odit, & ab eo contemptus fuit.

Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt. *Io. 2. v. 15.*

In momento cuncta ista prætereunt: & sæpe honor sæculi abiit, antequam venisset. *Ambros. in Lucam.*



DIES

Martius,

II. Bonum igitur fac: nam bonum non facere est malum facere. Bonorum operum in Christiano sterilitas, vera iniquitas est. Tantum boni fac, quantum interni luminis habes. Luminis tibi concessi magnitudo, rigorem iudicij tui constituet; tantum boni fac, quantum fecisti mali, tum sanè multum boni feceris. Tantum boni fac, quantum potes. Bonis, quæ agimus, limites ponere, est nostro in DEUM amoris, ejusdemque in nos Bonitati limites ponere. Fac bonum cum fervore; nam *maledictus est, qui facit opus Dei negligenter*. Fac id intentione pura; sine hac enim bonum in malum degenerat. *Lumen, inquit Christus, mutatur in tenebras*. Fac illud in statu gratiæ; sine hac enim id absque merito facies. Et, ubi hæc omnia fecisti, dic te *servum inutilem esse, nec fecisse, nisi quod ommittere, quin puniri mereris, non potuisti*.

Luc. II.

Luc. 17.

III. Quàm multi inveniuntur in Mundo, similes illi ficui sterili in Evangelio, quibus satis est proferre folia sine fructibus, hoc est, habere virtutis speciem, quin reapse virtutem habeant; quibus effectus felicitatis indolis, probæ educationis, vel honestatis Mundanæ, humanive respectûs, vel ad summum probitatis ethnicæ videntur

LUE


tur veræ sanctitatis fructus, cum tamen illi Martius.
abinnato quodam gravium scelerum
horrore Proficiscantur. Interea se inno-
centissimos credunt, quod Mundi oculis
non magnopere scelerati videantur; imò
etiam sibi persuadent, se magnis virtuti-
bus esse præditos, quod multum honestatis
mundanæ præferant, vel paucis vitijs,
vel saltem majoribus non laborent; quan-
tumvis vitam mollem, & inutilem ducant,
nec ad virtutes Christianas exercendas in-
cumbant, nec obeundis Misericordiæ o-
peribus se impendant. Quantopere hu-
jusmodi Christiani perterrescent, ubi co-
ram Deo comparere debent; cum eis va-
nitas ethnicarum suarum virtutum, & vera
vitæ immoderatio ob oculos ponetur. An
tum demùm id agnoscere cupis, cum Iu-
dex id tibi exprobrabit ad tui condemna-
tionem?

*Statue serid virtutum Christianarum, & o-
perum Misericordiæ exercitio te dedere, quan-
tum tibi per vitæ tuæ conditionem, & vires li-
cebit.*

Omnes declinaverunt, simul inutiles
facti sunt. *Psal. 13. v. 3.*

Si cor tuum otiosum non sit, non sunt
otiosa opera tua. *Ambros. in Psal.*

Martius.



DIES XXIX.

De Fiducia in Deum.

I.

Non nimium nobis ipsis diffidere, neque satis Deo confidere possumus. Is enim verè in se confidentibus nihil negat. Tantum possumus, quantum speramus; omnia possumus, si speramus omnia. Neque mirandum est, si Deus vivæ alicuj confidentiæ omnia concedat: nihil enim melius testatur amorem, quo in ipsum ferimur. Fidimus ijs, quos amamus, & à quibus amari nos credimus. Nihil melius testatur æstimationem, quam de ipsius bonitate, potentia, sapientia, & providentia concepimus. Ipsius potentia est infinita; hac si nitor, possumne aberrare? ipsius bonitas est infinita, si ei me credo, possumne falli? ipsius providentia est infinita; si ei me committo; potestne mei oblivisci, vel me negligere?

II. Ego, si solus sim, ipsa imbecillitas sum. Et cur mihi non diffidam? at Deus, & ego fortissimi sumus. Eccur ei non confidam? Confidentia Deo me unit, & Deum mihi. Hinc Propheta asserit, quod

ij,

ij, qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Id est, propriam imbecillitatem exuent, ut fortitudinem Dei induant: Homo confidentia plenus quodam modo fortitudine ipsius Dei fortis evadit; an succumbere maximis calamitatibus potest? ipsius potentia evadit potens; potestne ullis obstaculis terreri? ipsius Dei sapientia evadit sapiens, possuntne eum deficere media, ad hæc obstacula superanda? ipsius Dei abundantia ditescit; quæ spes ex omnibus suis necessitatibus emergendi ei non affulget? idcirco Propheta subdit, quod ij, qui confidentiam suam in Deo ponunt; *assument pennas, sicut aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient in stadio salutis.* Si igitur vires tibi defunt, id fit, quod confidentia careas: diffidentia tua tota tua debilitas est.

Martius.

Isa. 40.

Ibid.

III. Quemadmodum potentia & fortitudo Dei nunquam ita se prodit, quàm ubi è tenebris lucem, & elegantissima quæque opera è nihilo procreat: sic virtus Confidentia nunquã adeò elucescit, quàm tunc, cùm ita hominem roborat, ut incitamenta fiducia suæ desumat ex eo, quod illam subvertere debet, Exemplo Abrahæ, qui contra spem speravit. Homo isthac virtute nixus nunquam minùs timet, quàm

S 4 cùm


Martius.

cùm omnia timenda esse videntur; nunquam ita sperat, quàm ubi omnia desperata censentur; nunquam perfectiùs se Deo committit, quàm ubi totus mundus eum deserit, imò cum ab ipso Deo saltem in speciem deseri videtur; tunc enim verò cum Iobo dicit: *etiamsi me occideri, in ipso sperabo.* Ita; Domine, cum ultimum mihi mortis infliges ictum, in te sperabo, & manui me percutientis inmitar. Deus licet extremè iratus esset, tam vivæ confidentiæ obistere non posset. Nihil adeò nobis formidandum, quàm immoderatus timor; & quantumvis gravia sint mala, quæ nobis intentantur, nihil tamen adeò metuere, ut nostram diffidentiam debemus.

Vivam hanc fiduciam frequenter à Deo pete; cum enim hæc omnia sperare te jubeat, capacem te reddit omnia impetrandi.

Scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. *Eccli 2. v. 11.*

Fides Christianorum fides impossibilem, *Tertull. de Resur.*



DIES

Martius.

cor suū item interrogatione toties iterata, tamque inquieta, quam Christus Petro proponit, ut intelligat, an ab ipso ametur? si te non Amō, Domine, rota infelicitas in me recidit, ad te verò, quod attinet, quid per hoc perdis? quī ergo fit; ut tantopere amorem meum desideres?

II. Christus omnem movet Lapidem, ut hoc desiderium opratum sortiatur effectum. Ad id nos invitat suis promissis, ad id nos allicit nostris proprijs commodis, ad id nos urget suis beneficijs: ad id nos sollicitat suis precibus, & inspirationibus, ad id nos obligat suo præcepto, ad id nos etiam cogit suis minis. Denique quidquid agit, seu naturæ, seu gratiæ spectemus ordinem (& quid non facit?) eò collimat. Preces hominis importuni nos aliquoties cogunt ad concedendum ei, quod perit, repugnante licet nostra propensione, & comodo. Et sanctæ Christi Domini sollicitationes non cogent nos, ut ei hunc amorem concedamus, qui amor omne ipsi gaudium, nobisque simul omnem parit felicitatem? quid magis admirandum; an tam ardens Dei desiderium amorem nostrum obtinendi, an verò nostra ipsi resistendi obstinatio? utrumque æqualiter incomprehensibile est,

III. In-

III. Ingens desiderium, quo Christus Martius.
amorem nostrum obtinendi ardet, evidens
est summi ipsius erga nos amoris Argumen-
tum; & modicum desiderium, quod nos
ipsum amandi habemus, non minùs certum
indicium est, eum à nobis non amari. Si
eum amaremus, sentiremus, quàm ama-
bilis ipse sit, & iste animi sensus ardens no-
bis injiceret desiderium, magis adhuc eum
amandi; ita, ut amoris nostri modicum
cum difficultate toleraremus, sed pia qua-
dam impatientia contabesceremus, ejus-
dem augmentum experiendi; omnia me-
dia, ad illum consequendum habilia am-
plecteremur, atque hæc, quantumcunque
acerba forent, suavia nobis acciderent:
singulis momentis diceremus: amorem
tuum, mi Iesu, amorem tuum, & nihil
præterea. At quàm longè remoti sumus
ab hoc desiderio, quàm longè ab hoc per-
fecto amore! Nemo est, mi Iesu, præter
te, qui ardens hoc desiderium amoris tui
mihi inspirare, unaque id efficax reddere
possit. Illum proin à te peto per illud ip-
sum desiderium, quo eum impetrandi fla-
gras. Eheu! cùm sis omnipotens, tam
facile tibi est id efficax reddere: an igitur
omnipotentiam tuam repugnantiaæ meæ
cedere oportet?

As:

Martius.

Affiduè Christum roga, ut sui amorem tibi largiatur. Hæc sint potissimæ tuæ preces; vel nullas alias fac, si velis. Hæ enim omnes alias complectuntur.

Sapientia invenitur ab his, qui quærunt illam; præoccupat, qui se concupiscunt. *Sap. 6. v. 13. & 14.*

Iubes te, Domine, diligi à me; da quod jubes, & jube, quod vis. *Aug.*

DIES XXXI.

De unitate Dei.

I.

Naturæ lumen dicat, DEUM aliquem existere quidquid extra nos videmus, quidquid in nobis ipsis sentimus, id nobis asserit. Pulchritudo, ordo, motus tam certi, & regulares omnium, quæ universum componunt, id clarè demonstrant, Consensus universalis omnium populorum sunt vox naturæ, quæ mentiri non potest. Effrænata licentia adducere nos potest, ut negemus, Deum aliquem; verùm id nobis ipsis dicere non auderemus, cor enim nostrum quantumvis corruptum mendacij nos argueret. Est igitur Deus aliquis; verùm non nisi unus esse potest. Si duo
fo-

forent dij, tunc duas haberent voluntates Martius
 distinctas, quæ inter se diversæ esse possent;
 utrum obediremus? cùm enim utrique
 morem gerere non possemus, neutri earum
 obedire teneremur. Atque hac ratione
 nititur hoc præceptum: *Dominum Deum* *Luc. 4. v. 8.*
tuum adorabis, & illi soli servies. Atque ex
 hoc principio Christus impossibilitatem
 duobus Dominis serviendi deduxit. An
 non hoc inde consequi negas, qui Deo
 mundoque servire cupis?

II. Non est, nisi unicus Deus; si enim
 duo essent, tunc distincti essent; ac proin
 unus alterius perfectionibus careret, atque
 aliquid eum deficeret, adeoque nec per-
 fectus, nec infinitus, & quod hinc conse-
 quitur, nec Deus esset: Deus enim debet
 esse natura tam bona, tamque perfecta, ut
 melius, & perfectius ipso concipi nihil pos-
 sit. Hac veritate nititur obligatio Deum *Diliges Do-*
 amandi super omnia, eum amandi ex toto *minium Deū*
 corde nostro, & ex omnibus viribus no- *tuum ex toto*
 stris; quia, utpote Bonum supremum, *corde tuo*
 Bonum unicum, bonum universale, unice *Marc. 12.*
 & summè amari meretur; cùm omnia alia
 bona non sint nisi rivuli ab hoc omnium
 bonorum fonte scaturientes, & idcirco non
 amanda, nisi propter ipsum, & quia ad
 ipsum referuntur. Ita est Domine dice-
 bat

Martius,

bat S. Augustinus, qui tecum aliquid amat, quòd non unicè propter te amat, non amat te, ut amare te debet. Amasne hoc modo Deum? nõnne amorem tuum, Deum inter & Creaturas partiris? sic agere non est Deum amare, sed injuria afficere.

III. Non est, nisi unicus Deus. Si plures Dij forent, inter eos non conveniret: itaque plures essent fines, nec ullus eorum finis foret ultimus; & quod consequens est, nullus etiam foret, ad quem omnes nostras actiones referre teneremur; nullus etiam foret, qui terminus esse posset omnium nostrorum motuum, nullus, qui desideria nostra sistere, cor nostrum satiare, & infinitam animæ nostræ capacitatem, quæ bono finito satiari nequit, explere posset. Hac ratione nititur præceptum omnia ad Deum, ut finem ultimum dirigendi, omniâque ad ejus gloriam agendi. Hoc est illud unicè necessarium, de quo filius Dei loquitur. An non id negligimus? annon bona caduca, voluptates terrenas, honores Mundi, finem nobis ultimum statuimus? id facimus, quotiescunque ista immoderatè amamus, cum ea Deo præhabemus; an non hoc est ea Deum nostrum reddere, ut Apostolus

10.

*omnia ad
Dei gloriam
facite. I.
Cor. 10.*

loquitur? an non hoc est fieri idololatram? Martius.
idololatra & Christianus, qui inter se con-
veniunt?

*Cum non sit, nisi unus Deus; & non nisi uni-
cum cor habemus; statue te totum, & unice ei
donare.*

Unus Dominus, una fides, unum Ba-
ptisma. *Ephes 4. v. 5.*


Ipsam gratis dilige, quia melius ab eo
non iuvenis, quod det, quam seipsum;
aut, si invenis melius, pete. *Aug. in Psal. 35.*

Finis Trimestris Primi.

**Ad majorem Dei, Dei-
paræque gloriam &
honorem.**



In-



I N D E X.

Cogitationum.

seu

Considerationum Christianarum.
pro Evangelijs Dominicarum post
initium Januarij, usque ad Quadragesi-
mam, & omnibus Quadragesi-
mæ Evangelijs.

Dominica infra octavam Epiphaniæ.
Die 4. Februarij. *Quantopere obli-
gemur Deum glorificare?*

Dominica 2. post Epiphaniam. Die 27.
Januarij. *De pietate in B.M.A.M. Virginem.*

Dominica 3. post Epiphaniam. *De Con-
fessione.* Die 13. Februarij.

Dominica 4. post Epiphaniam. *De Con-
fidentia in Deum.* Die 29. Februarij.

Dominica 5. post Epiphaniam. *De scan-
dalo.* Die 14. Februarij.

Dominica 6. post Epiphaniam. *De fide.*
1. Februarij

Do-

Index

- Dominica Septuagesimæ. De fervore. Die
26. Febr.
Dominica Sexagesimæ, De abusu gratia-
rum. Die 5. Febr.
Dominica Quinquagesimæ. De cæcitate
animi. Die 18. Martij
Feria 4. Cinerum. De cura salutis. Die
3. Januar.
Feria 5. Cin. De inferno, vel æternitate pæ-
narum. 9. Jan.
Feria 6. De injuriarum oblivione Die 20.
Jan.
Sabbato. De patientia in adversis. Die 25.
Januarij.

*Hebdomas Prima Quadragesi-
ma.*

- Dominica I. De tentatione. Die 12. Julij.
Feria 2. De judicio extremo. Die 8. Febr.
Feria 3. De reverentia in templis. 16. Jun.
Feria 4. De relapsu in peccatum. 16. Jan.
Feria 5. De oratione. 22. Febr.
Feria 6. De pœnitentia. 12. Febr.
Sabbato. De imitatione Jesu Christi, 22. Jan.

Hebdomas II. Quadragesima.

- Dominica. De Amore Christi. Die 28.
Jan.
Feria 2. De memoria mortis. 10. Martij.

T

Fe

Index

Feria 3.	De humilitate.	24. Jan.
Feria 4.	De ambitione.	7. Martij.
Feria 5.	De igne Inferni.	13. Martij.
Feria 6.	De vindicta, quam Deus de peccato mortali sumit.	5. Martij.
Sabbato.	De misericordia Dei.	28. Febr.

Hebdomas. III. Quadragesimæ.

Dominica.	De peccato libidinis.	Die 17. Febr.
Feria 2.	De invidia.	19. Jan.
Feria 3.	De frequenti Confessione.	30. Febr.
Feria 4.	De Hypocrisi.	10 Julij.
Feria 5.	De peccato veniali.	5. Jan.
Feria 6.	Gratiæ fideles esse nos oportet.	4. Martij.
Sabbato.	De mansuetudine.	23. Febr.

Hebdomas IV. Quadragesimæ.

Dominica.	De Elëemosyna	22. Martij.
Vel;	ut directioni divine nos committamus, æquum est.	31. Julij.
Feria 2.	De Zelo gloriæ divine.	31. Julij.
Feria 3.	De voluntate Dei.	3. Aprilis.
Feria 4.	De omnipotentia Dei.	Die 18. Aprilis.
Feria 5.	De utilitate memoriæ mortis.	7. Jan. Fe-

Index

Feria 6. De necessitate mortis. 6. Febr.
Sabbato. De exemplo Christi. 23. Martij.

Hebdomas V. Quadragesima.

Dominica Passionis. De Detractione. Martij.

Feria 2. De morte peccatorum. 4. Maij.

Feria 3. De contemptu mundi. 27. Martij.

Feria 4. De obligatione Christum sequendi. 20 Maij.

Feria 5. De fructibus pœnitentiæ. 16. Mart.

Feria 6. De amore Christi. 30. Martij.

Pro alijs diebus usque ad Pascha accipi
possunt Meditationes de Passione, qua
positæ sunt ad finem mensis Apri-
lis.


FINIS
Indicis I. Trimestris.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S
Indicia, Trinitatis











Th 1
4505